DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA, DE PARTU,

NEC-NON


DE AUXILIIS ERGA PARTURIENTES AC PUERPERAS.

AUCTORE JOANNE POCHÉ DE LAFOND, è Loco Sancti Geniesii apud Santones, Liberalium Artium Magistro, & jamdudùm Medecinæ Studioso.

PROPUGNATA

In Augustissimo & Celeberrimo Ludoviceo Medico Monspeliensi, die 26 mensis Augusti 1775.

Pro primâ Appollinari Laureâ consequendâ.



MONSPELII,

Apud JOANNEM MARTEL, NATU MAJOREM, Regis, Universitatisque Typographum Consuetum.

M. DCC. LXXV.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



VIRO ILLUSTRISSIMO

ATQUE DOCTISSIMO

J. BROUSSARD DE SABLON,

IN ALMA MONSPELIENSI

UNIVERSITATE MEDICINÆ DOCTORI,

NEC-NON

IN URBE PONTIACA APUD SANTONES

MEDICO REGIO.

VIR ILLUSTRISSIME,

PRÆCELSA Principum nomina, ſplendidaſque Magnatum Appellationes ſuis adſcribat paginis favori & patrociniis inhians Ambitio. Solo cordis affectu impulſus, ipſe publicum tibi gratitudinis argumentum ob ſingularem, quæ nos noſtroſque devincit conſuetudinem, multipliceſque

tuæ ergà nos benevolentiæ notas ; defero. Verùm enim verò cui potiùs consecrandæ venerant hæ studiorum primitiæ, quàm præstantissimo & admodùm venerando amico peritissimo, præterea Artis Medicæ Viro, cujus præceptis institutus, cujus adjutus consiliis ea quondam perficere, & condita in praxim depromere licebit. Laudes hìc tuas VIR ILLUSTRISSIME impari calamo non attrectabo ; tua se satis commendat doctrina, tua-met Virtus. Modestiam quin etiam nosco tuam & te minus accipiendæ quàm promerendæ gloriæ cupidum scio.

Si Propositum adæquaret opusculi elaborati ratio, libentiùs tanquàm tui minus indignum tibi offerretur. Qualecumque verò sit deditissimi Tironis donum pro tuâ benignitate accipias, quæso, habeasque tanquàm minimè dubii studii specimen, quod palàm profiteri gaudet.

VIR ILLUSTRISSIME,

Devotissimus & addictissimus famulus,

J. Poché de Lafond.

Dabam Monspelii die 24 mensis Augusti 1775.



PROŒMIUM.

ARS obſtetricia circà ultimum generationis actum verſatur ; qui quidem actus, nomine ortûs inſignitur ſi fœtûs, ſi verò matris habeatur ratio, nomine partûs celebratur. Naturâ monſtrante viam procedit eximia hæc ars, deviantem dirigit, reficit languentem, obſtantia quæque removet & ipſius naturæ vices gerere novit ſi ipſa ſuperando impedimento ſit impar. Indè multiplex exſurgit agendi ratio : quantùm ex arte noſtrâ in genus humanum emolumenti emergat, cuilibet vel leviter attendenti obvium manet, nec opus habet Tyro vel encomia congerere, vel vulgatas promere de hacce re opiniones. Miſſa pariter faciam quæcumque proferri poſſent de Hiſtoriâ Chronologiâve artis : id tantùm notare juvat quod ex obſervatorum ſerie concludere pronum evadit : nempè artis neceſſitatem pari paſſu ac ejus incrementa progreſſam fuiſſe.

Acceſſit quidem duobus ultimis ſæculis, ſedulâ quorumdam Chirurgorum curâ, magnum arti decus : plura vel nova excogitata fuêre, vel quæ tradiderant veteres emendata : nihilominus innumera adhucdùm deſiderarentur, niſi hujuſce temporis acerrimi naturæ indagatores,

tùm Medici tùm Chirurgi artem promoviſſent. Omiſſiſque imò ſæpè ſpretis & veterum & recentiorum formulis, quidquid arduum occurreret, calidâ & ad id accommodatâ operâ ſuperaſſent, condidiſſentque præcepta, ſagacis ingenii obſervatis innixa.

Verum undè deſumi poteſt urgentior in hac ætate hujuſce artis neceſſitas? Anne partes molles feminarum hujuſce temporis excluſioni fœtûs evaſere minùs aptæ? Anne debiliùs ſua munia implet vitæ principium? Anne tandem pravæ oſſium conformationi, vitiatæque compagi, per quaſcumque affectiones quæ recentioribus temporibus graſſantur, adſcribi poteſt neceſſitatis artis incrementum? Ardua ſanè quæſtio: quamquam ex enumeratis cauſis poſtrema mihi arrideat, cùm eaſdem vices paſſa ſit hæc ars, auctaque perpetuò, orto in dies, novaſque ſuſcipiente vires infeſto quodam morbo: hunc dico, qui oſſeam ſtructuram aggreſſus, pelvim præprimis vitiat, puerique expulſioni obeſſe multiplici modo valet.

Scaturientium undique difficultatum concurſu excitati obſtetricantes id tandem curarunt quod præſens ſuadebat rerum ſtatus: Novo ſubdita eſt examini varia pelvis dimenſio: Oſſea pueri educendi compages, ipſi eſt collata: Indèque profluxere inconcuſſa principia normæque ex quibus inſolita prorsùs lux praxi affulſit: Egregia edita ſunt ſcripta; quodque vel dexterrimi obſtetricantis manus non poſſet, id machinæ & ſimplicitate conſpicuæ, & attingendo vario ſcopo aptæ præſtitêre.

Vix aliquid ex illâ disciplinâ libaveram, cùm auditor Parisiis extiti viri in artis incrementum nati : D. *Solayrès* dico, hujusce Universitatis Doctorem, aliunde Anatomiæ peritiâ clarum : Ità aptè concinnata, ità dilucida erant quæ de arte publicè differebat summus Magister, ut præ oculis subjici viderentur, nec ubi viam faciliorem monstrabat, quàm latè paterret ars dissimulasse credas : Et perterere, & simul pellicere auditores gnarus, illecebris quibusdam animos demulcebat. Heu! quare præpostero abreptum fato audire per annum tantùm licuit : Quare & amicum & magistrum lugere cita mors me adegit : felicem adhuc me, cui obtigerit discipulum * ipsius disciplinâ multis adhinc annis imbutum denuò audire, ejusque intimâ familiaritate, publicisque prælectionibus uti duorum decursu annorum.

Quanquam & aliò me vocaverint inclyti hujusce Ludovicei exercitationes, animum sæpè subiit artis adamatæ imago : Siquid otii superesset, volvendis antiquis præceptis, iterandæque multiplici operæ, vel etiam scriptis passim auctorum scrutandis incubui, quæ de Physiologia huc spectant avidè hausi; nec requievit animus, donec Augustissimorum Professorum hujusce facultatis sagacissimo ingenio explorata haberet quæ adipisci huc usque contigerat : Quæ passim manu scripta jacuerant, collegi, adunavi : Præcepta antiquitùs comperta, animo recolui; cætera, quæ

* D. Bodeloque.

fauſtos ſpectant partûs eventus, ex claris Auctorum ſcriptis deprompſi.

Totum hoc qualecumque eſt nomine diſſertationis inſigniendum ſi velis, tripartitum offero. Egi, 1°. De partu generatim ſpectato, de præfinito tempore, de ſignis, cauſis & mechaniſmo. 2°. De variis auxiliis, prout varii occurrunt caſus, quos juvandæ memoriæ cauſa, juxtà Botanicorum methodum, ad artem noſtram feliciter à D. *Solayrès* detortam, diſtribui: His addidi peragenda in vulgatis caſibus, praximque cuilibet accomodatam. 3°. Tandem paſſim reperta apud auctores de his quæ partum ſubſequuntur luſtravi, quæ ſentiam ipſe, quemque operandi modum nonnumquam adhibuerim, candidè promens.





DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA, DE PARTU, NEC-NON DE AUXILIIS ERGA PARTURIENTES AC PUERPERAS.



PARS PRIMA

DE PARTU IN GENERE.

§. I. (1). GENITURÆ ex uteri cavo exitus varia sortitur nomina, juxtà varium graviditatis stadium. *Effluvium* ex *Moriceau* [a] dicitur cùm uterus, à die conceptionis ad septimum, semina cohæsione & formâ carentia expellit aut emittit. *Ex eodem* detrusio à die septimo ad tertium mensem spurii germinis, *expulsio* Definitiones.

[a] *Traité des maladies des femmes grosses & de celles qui sont accouchées, liv. 2. ch. 2.*

audit : abortuſque nuncupatur, ſi fœtus conformatus quantuluſcumque, & quocumque tempore antè ſeptimum menſem edatur exanimis & vitæ incapax. Nos autem per partum latè ſumptum, intelligimus expulſionem aut extractionem cujuſcumque geniturae è cavo quocumque (ſivè in illo increverit, ſivè in illud tranſierit) modò ad ſeptimum menſem pervenerit, imò etiam antè illud tempus, modò vitæ ſit capax [a].

(2) Senſu verò ſtricto, deſignat partus excluſionem unius vel alterius maturi fœtûs ex uteri cavo, ſivè maternis viribus, ſivè alienis auxiliis abſolvatur.

(3) Sub hoc poſteriori reſpectu, hìc partum conſiderabimus. Ut autem innoteſcant præmiſſæ definitiones, de partûs termino, quanquam non eſſet locus, primùm differere ſatiùs viſum eſt.

DE PARTUS TERMINO.

II. (1) Tempus quo utplurimùm evenit partus, indubitanter nonus menſis eſt, & quidem abſolutus: numquid autem adeò conſtans, fixuſque eſt hic terminus ut quâcumque de cauſâ ad octavum ſeptimumve menſem & citrà reſtringi nequeat, nec ad decimum undecimumve aut ultrà protrahi ? Sæpiſſimè & jampridem exagitata fuit hæc quæſtio, adhùcdùmque etiàm Scriptores in varias ſcindit partes.

Rigidiorum ſententia. (2) Alii juxtà quos naturæ leges circà ortum conſtantes, ſtabileſque ſunt, *naturalem* partum cenſent in mulieribus perindè ac in brutis conſtanter determinari, eaſque nono præcisè menſe exacto eniti. Hæc eſt *Varreti* ſententia relata & propugnata à D. *Louis* [b]. *Amman* & *Diemerbroeck* nullum conformem naturæ partum ultrà nonum menſem putant. Contendit *Dionis* [c] legem noni menſis exacti adeò conſtantem eſſe, ut nulla mulier eâ immunis ſit ; nec ſi dicant geſtatos *longiori breviorive* tempore infantulos, ullam eis adhibendam eſſe fidem. Hanc

---

[a] D. Petit *dans ſa conſultation en faveur de la legitimité des naiſſances tardives.* » *A quelque terme que l'enfant vienne au monde, pourvu* » *qu'il puiſſe vivre après être né, ce terme doit être regardé comme naturel ;* » *il ne ſçauroit y avoir de difficulté ſur cet objet, pag. 13.*

Lamote, *Traité des accouchements, II. part. chap. V. pag.* 202. » *Cela* » *poſé, j'appelle un enfant né à terme, quand il eſt en état de ſe conſerver* » *la vie & de prendre le teton de la Nourrice, en quelque-temps que la* » *mere accouche.*

[b] *Pag.* 27, 28. *de ſa conſultation contre la legitimité des naiſſances prétendues tardives.*

[c] *Traité des accouchements, liv.* 3. *chap.* 1.

autem sententiam quæ nullum præcocem nec serotinum admittit partum, quis adeò parum sanâ mente tueri aggrediatur?

III. (1) Quoad enim partus præcoces, omnium sæculorum experientiâ constat, inconcussumque manet, fuisse mulieres, quæ ante exactum mensem nonum, per octavi curriculum, septimoque & citrà pepererint, de quo ferè omnes consentiunt, plerique etiàm illorum qui serotinos partus non tuentur aut impugnant, in hoc tantùm differunt, quod diversimodè suam adstruant sententiam; D. *Petit* [a] qui præcipuè inter recentiores varietatem circà partûs terminum statuit, juxtà peculiarem theoriam probare contendit possibiles esse præcoces partus infantulorum & quidem vitalium, ut videre est in opere gallico, cui titulus, *Consultation en faveur de la légitimité des naissances tardives.* Præcoces partus.

(2) Septimestres partus agniti ab *Hippocrate* [b] & à plurimis tàm veteribus quàm recentioribus, non sunt tamen omnium qui accidere possint præcocissimi; censeo equidem quâcumque causâ id fiat, infantulum ex utero ante id temporis aliquoties expelli. Cùm autem rarissimè partus hujusmodi eveniant, assertionem observationibus quibusdam fulcire inutile visum non fuit, ex quibus constat infantulos ante septimum mensem editos fuisse & quidem vitales. Septimestres partus non præcocissimi.

(3) *Montanus* quemdam novit quinto mense natum, qui ætatem virilem attigerat. — Refert *Cardanus* ab uxore vinarii mercatoris filiam sibi oblatam fuisse sexto mense medio in lucem editam. — *Valesius* puellam duodecimum annum degentem vidit mense quinto natam. — *Spigelius* Cursorem tabellarium ad quadragesimum annum provectum novit, ineunte sexto mense ortum, & secum hujus rei testimonia semper ferentem [c]. — D. *Hoin* [d] in dissertatione de infantulis vitalibus, vitales esse astruit ante septimum graviditatis mensem, novumque arguit argumentum ex historiâ fœtûs abortivi è loco *de Marseillan*, à *Brousset* relatâ.

IV. (1) Quoad serotinos partus, non solùm impugnandi nobis sunt rigidiores primæ classis, qui præcoces & serotinos partus rejiciunt, sed ii etiàm qui præmaturos admittentes partus, serotinos possibiles non putant, isti quibus constat secunda classis, inter se dissentiunt, quosdam etiàm à se ipsis dissonos videri asserere non dubito. Serotini partus.

(2) Alii enim, sed numero pauciores, ne ullum quidem diem solitò tempori addunt. — Alii contrà textu *Hippocratis* innixi (qui altero quidem evertitur) partum censent ad decimum diem protrahi posse ultrà Discrimen inter rigidiorum sententias.

---

[a] *Loco cit. pag. 13, 14, 15, 16, 17.*

[b] *Lib. de Septimestri partu.*

[c] *Observationes excerptæ è notis quæ leguntur in opere gallico, cui titulus,* Traité des accouchements de Lamotte, ch. 5. liv. 1. II. Part.

[d] *Mercure de Juin 1772, pag 130.*

nonum mensem. — D. *Louis* [a] qui à priori sententiâ non nisi difficilè distrahi posse videtur, auctoritati demùm *Hippocratis* cedens, contendit saltem infantulos non habendos esse legitimos, qui ultrà latissimum hunc terminum in lucem eduntur. — D. *Bouvart* [b] eodem textu fretus *Hippocratis* quem rigidioribus secundæ classis præficit, eorum sententiam amplectitur, huncque nonnulli sequuntur.

Tempus Legibus Rom. concessum.

(3) Romanæ leges, juxtà Medicorum sententiam, gestationem ad decem menses exactos protulerant. Refert *Aulus Gellius* [c] enixæ in undecimo mense mulieri litem fuisse intentatam, *quoniam decem viri in decem mensibus, gigni hominem, non in undecimo scripsissent.* In Gallia lex ista recepta fuit cum Romano Jure, plures (diù saltem) huic stetere, hancque nonnulli nostris diebus inter quos D. *Bouvart* [d] propugnare non dubitant.

Sententia Medico-Jurisperitorum

(4) Tandem Medico-Jurisperiti tempori à lege concesso decem dies addidere, qui terminus triginta diebus Hippocraticum, legalemque decem superat. Attamen sicuti iste pluribus pollet auctoritatibus; D. *Bouvart* [e],

---

[a] *D.* Petit *in opere gallico, cui titulus est*, Observations sur ce qu'a écrit M. Astruc sur les naissances tardives, *hæc pag. 275 habet.* » M. Louis s'arrête à neuf mois précis, après ce terme tout accouchement » est illigitime selon lui. » *Ex contextu operis D. Louis Patet eum longius tempus non admittere & ad calcem, ut mulier adversus quam consulebat multò seriùs pepererat, ad eam tutiùs damnandam, & plures in eam convertendas auctoritates, decem in dies ultra nonum mensem partum protrahi posse admittit, ut sibi, inquit, Hippocratem conciliet, de quo suprà, pag 301, dixit*; Hippocrate donne sans preuve huit jours de plus..

[b] *Pag. 62. epist. ad D.* Petit, *de auctoritatibus loquens quas in tres classes partitur hæc aït*, » la premiere comprend les rigoristes, à la tête » desquels est *Hipp.*, fixe le plus long terme à 9 mois 10 jours; & pag. » 108. ejusd. operis. Quoique M. *Petit*, en puisse dire, le terme de l'ac» couchement est invariablement fixé à 9 mois quelques jours plus ou moins.

[c] Aul. Gell. *noct. attic. lib. 3. cap. 16.*

[d] *Pag. 27. operis jam citati.* » Les Auteurs que l'on produit contre » M. Louis, se trouvent manifestement pour nous, puisque nous accor» dons jusqu'à 10 mois 10 jours.

[e] *Ibid. & præterea, pag. 37. pag. 62. epistolæ ad D.* Petit *Jam relatas tres simul admittit sententias. his verbis.* » J'adopte, il est vrai, suivant ma » maniere de penser, le sentiment des rigoristes; mais, comme je n'ai » pas la présomption, ainsi que d'autres, de croire mon opinion capable » de faire loi, j'adopte aussi, puisque rien ne m'en empêche, & que j'y » suis autorisé, la latitude accordée par le droit Romain & par les » Médico-legistes.

ut sibi plures conciliet auctoritates, tutiùsque probet legitimum non esse puerum adversùs quem consulebat, utpotè ortum vigesimâ post mensem decimum die, hanc quoque opinionem expressè profitetur, licèt locis jàm citatis manifestum sit ambas priores fuisse amplexum.

Quæ admittendâ sententia.

V. Cùm tres simùl sententias tueri mens nostra non sinat, hanc admittendam censemus, quæ firmissimis nititur momentis, aut cunctas respuendas, si nulla nobis arrideat; posteriorem hanc viam sequimur. Ut autem penitùs ruant, probare intendimus, 1°. Partum aliquandò ultrà varios limites hâc triplici sententiâ statutos contingere posse, 2°. Extitisse admodùm provectas graviditates quæ etiàm ad plures ultrà consuetum terminum menses sese extenderunt. 3°. Ex varietate terminorum, quos scriptores statuunt, & discrimine observationum, quibus nituntur, eruemus instabile esse ambiguumque tempus ad quod pertingere potest graviditas, nec partûs terminum intrà certos limites hærere.

Ruunt relatæ sententiæ. Prima à secundâ evertitur.

VI. 1°. Hinc patebit partum ultrà varios limites præfatis sententiis adstructos provehi posse, probando scilicet illas à se invicem everti, primam nempè à subsequenti destrui; hancque à tertiâ, quæ impugnatur quoque auctoritatibus, quæ paulò longius concedunt tempus. — Antea verò quàm ulteriùs progrediamur, definire non inutile erit quid *serotini partus* audiant. Serotinos itaque partus dicimus, qui sensibili post decimam à nono mense diem, tempore absolvuntur; sicut præcoces appellavimus partus, qui citrà decem ante nonum mensem exactum dies accidunt; cum plurimis enim viginti dierum circà strictum terminum discrimen, nullius momenti habemus. — Hoc posito, cum primæ sententiæ asseclis considerandum venit, utrùm serotini partus possibiles sint & utrùm etiam aliquandò contingant; breviter nisi obscurè referre possem, quæ scriptores celeberrimi inter quos D. *Petit* de graviditatis prolixitate fusè dixerunt. Satis igitur mihi erit, si de serotinorum partuum existentiâ disseram, de quâ constare debuit & Medicis ad Romanas condendas leges consultis, & Medico-Jurisperitis, qui limites à legibus definitos protraxere, & scriptoribus qui statuta hæc amplexi sunt; quòd hinc ruat prima, rigidiorum scilicet sententia, manifestè patet.

Secunda à tertiâ.

VII. (1) Nùnc autem, quænam ex duabus posterioribus sententiis prævaleat, perpendamus. Opinio legibus romanis statuta, optima quidem videri debuit, dùm observationibus non constitit, partum ultrà decimum mensem protrahi posse; sed cùm factis haud ambiguis manifestum evaserit, ortum ultrà definitos limites contingere posse, in *Aulu-Gellio* [a] legimus *Adrianum* legi exceptionem tulisse erga puerum

[a] Aul. Gell. *noct. attic. lib. 3. cap. 16. pag. 103. Sic legitur fe*

undecimo menſe natum poſt extinctum patrem. Non id ex favore aut mero arbitrio latum fuit, ſed *requiſitis veterum Philoſophorum & Medicorum ſententiis.* Prætor *Papyrius* [a] ex Medicorum ſententiâ legitimum declaravit puerum decimo-tertio menſe editum.

(2) Hæc & ſimilia, nec non plures etiam ſcriptorum ſententiæ, quorum alii uſque ad undecimum, alii in undecimo partum collocant, Medico-Juriſperitos impulere, ad concedendum menſes decem totidemque dies, indèque planè evertitur terminus partui à legibus romanis ſtatutus.

Tertia per experientiam.

VIII. Supereſt igitur evertenda Medico-Juriſperitorum ſententia. Si autem hi, auctoritatibus, quibus conſtabat geſtionem ultrà tempus ab *Hippocrate*, legibuſque romanis ſtatutum, provehi poſſe, limites ampliare potuerint; nonnè nobis, illos extendere licebit, quos ipſi definiere, auctoritates graviſſimas, factiſque maximâ fide dignis ſuffultas proferendo, ex quibus probetur graviditatem in longius, breviuſve tempus ultrà præſtitutos ab ipſis fines protrahi? In his igitur nobis nùnc incumbendum: auctoritates primùm edemus quæ graviditatem in brevius ultrà Medico-Juriſperitorum limites, tempus perferunt. — Quidam ex adverſariis, licèt auctoritates, quæ in undecimo menſe partum contingere poſſe aſtruunt, ſibi vindicent; non tamen ſcriptores eis omnes dimittimus, qui in undecimo menſe limites latiſſimos partûs conſtituere: ex quibuſdam enim circumſtantiis eruitur pleroſque de medio, extremove, potiùs quàm ineunte menſe undecimo fuiſſe locutos.

Veterum ſententiæ.

IX. Dignitate & vetuſtate præire deberet *Hippocrates*, ut autem ſpurius à quibuſdam reputatur liber, in quo undecimeſtres & duodecimeſtres etiam partus memorantur, cùm ſint etiam qui [b] ſubtilitates quaſdam excogitaverint ad probandum partu undecimeſtri *Hippocratem*

---

minam bonis atque honeſtis moribus non ambiguâ pudicitiâ in undecimo menſe poſt mariti mortem peperiſſe: Factumque eſſe negotium propter rationem temporis quaſi marito mortuo poſteà concepiſſet, quoniam decem viri in decem menſibus gigni hominem, non undecimo ſcripſiſſent, ſed Div. Adrianum, *in causâ cognitâ decreviſſe, in undecimo quoque menſe partum edi poſſe, idque ipſum ejus rei decretum nos legimus, in eo decreto* Adrianus *id ſtatuere ſe dicit requiſitis veterum Philoſophorum & Medicorum ſententiis.*

(a) Plin. *Hiſt. Nat. lib. 7. cap. 5.*

(b) *Intelligi enim volunt menſes aut deſinentes aut inchoatos, ità ut per undecim menſes Hippocratem audiſſe velint quinque dies extremos primi menſis, novem menſes integros ſubſequentes & dies alios quinque menſis alteriùs; undè juxtà illos in undecimo quidem menſe partus undecimeſtris Hippocraticus, abſolvitur, ſed reverâ novem tantùm menſes & dies decem perſeveravit graviditas.*

audiisse eum, qui nonum post mensem & dies decem absolvitur, ex eo propugnacula non sumemus. — Ad *Aristotelis* igitur sententiam deveniamus; censet enim juxtà D. *Petit*, prægnantes nonnisi post mensem undecimum parere posse. — Idem censebat *Plinius* [*a*], exemplumque *Vestiliæ* refert, quæ nùnc septimo mense, nùnc undecimo, iterùm septimo, alterâ vice octavo mense enixa est (& quidem revolutis). — Accedunt nùnc Medici & Philosophi ab *Adriano* consulti, qui infantem undecimo mense post extinctum patrem nasci potuisse definierunt; undè Imperator legitimum declaravit talem puerum. — Nec reponant adversarii eos de initio mensis undecimi fuisse locutos; si enim totum mensem non intellexissent, cùm prævidere possent consilium suum in legem abiturum, sanè aliter suam dixissent sententiam, tempusque mensis designassent. Lex enim apertis & clarissimis terminis ferri debet, sumiturque secundùm totam suam extensionem.

X. Recentiores veteribus consentiunt auctoritates. *Maningham* [*b*] sic docet; *fieri potest ut mulier utero gerat à septem ad undecim menses.* — D. de *Buffon* (*c*) hæc de partu scripsit: *lorsque le fœtus n'aura pas acquis dans le temps de neuf mois, ce degré de perfection & de force, il pourra rester dans la matrice jusqu'à la onzieme & même douzieme période, c'est-à-dire, ne naître qu'à dix ou onze mois, comme on en a des exemples.* — Facultas Giessenæa à magistratibus consulta ann. 1689, die 29 Augusti statuit puerum mense undecimo post extinctum patrem natum, legitimum esse posse. — *Hallensis* definit pariter legitimum posse esse puerum duodecimo mense ortum. *Heidelbergensis* de facto pari par tulit judicium. — Relatæ auctoritates non quidem ad certum tempus stabiliendum consentiunt, sed saltem coëunt ut limites à Medico-Jurisperitis statutos removeant, undè sequitur partum non restringendum esse intrà statutum ab illis tempus. Ut autem id ipsi diffiteri non possint sic ex ipsorummet principiis ratiocinabimur. Recentiorum.

XI. Si plus, minusve præcox partus concipiatur pendere à quibusdam causis (quæcumque admittantur); partus etiam plus minusve serotinus concipi debet à causis quibusdam contrariis oriri posse. Nos v. g. qui cum D. *Petit*, nimiam uteri sensibilitatem, defectum extensivæ facultatis relativæ, incrementum præceps veloxque infantuli, quasi totidem causas agnoscimus, quæ sivè seorsim, vel simùl agant, fœtûs antè consuetum tempus exclusionem promovere possunt; nos, inquam, putare cum eodem non dubitamus, causis contrariis juxtà earum actionem & gradum, partum plus, minusve protrahi posse. Id etiàm censet Ratiocinium à causis ductum.

(*a*) *Loco jàm citato.*

(*b*) *Artis obstetric. compend.*

(*c*) *Histoire Nat. tom. 4. pag. 115. Edit.* in-12.

D. *Lamotte* [a] qui hujus moræ terminum habet tempus quo desinunt causæ: sic quoque *Riolanus*; pluresque partuum præcocium serotinorumque causas affert [b]. Cur ergò, ut adversarios alloquar, cur, inquam, ritè admodùm & causâ cognitâ, graviditatis tempus ampliantes & quidem multò, huic tamen limites assignatis, quos prætergredi potest juxtà gradum vis, quæ causis inest à vobis admissis; etenim extrà dubium est parem non semper esse earum vim: cùm ergò juxtà vos aliquoties partum in quadraginta dies, aliquoties in tempus brevius remittant, nobis licet putare illum interdùm ultrà potrahi posse, dùm id aliundè experientiâ constat. Fatebimini ergò malè positos à vobis limites, removendosque. Utrùm verò admodùm ultrà producendi? De hoc nùnc differendum venit.

Partus protrahi & quidem in longum posse videtur

XII. II°. Videtur, si partus quâcumque causâ potrahi posse admittatur in aliquot hebdomadas, indè inferendum esse, si hæ causæ (quæ necessariò juxtà temperamenta, & circumstantias variant) sint v. g. duplò validiores, partum in duplo longius tempus distractum iri. Nec ultrà urgebimus argumentum, sufficitque nobis graves referre auctoritates quæ partum in tempus amplum ultrà vulgarem latitudinem, differri posse astruunt.

Sententia quæ in 12 mensem partum provehit.

XIII. (1) Neque hìc etiàm concordes sunt scriptores. Eos primùm proferemus, qui minùs recedunt ab iis quos Medico-Jurisperitis objecimus; primò *Teichmeyer* [c] qui ex professo de hâc quæstione differens, duodecim concedit exactos menses his verbis: *patet ex his jàm allatis argumentis partum undecimestrem & duodecimestrem ex principiis Medicis legitimum pronuntiari posse, certis positis circumstantiis.* Huic scriptori assentimur, prout scilicet res requirunt, non putantes sicut nec defensores provectarum graviditatum improvidè & temerè fidem esse adhibendam

[a] *Traité des accouch. II. part. liv.* 1. *ch.* 5.

[b] *In opere cui titul. est instit. Medico-Leg.*

[c] Joannis Riolani Ambiani, *lib. de Hominis procreatione*, *cap. XI. pag.* 114 *sequentia leguntur ad partum tria concurrunt: Mater, uterus & infans: Mater cohibito spiritu & musculos abdominis comprimendo juvat partum, uterus à fundo ad os se provolvit, ut onus excutiat: Infans appetit exitum coactus necessitate aeris, cibi, loci: nàm grandior ad caloris ventilationem eget respiratione, alimento solidiore & copiosiore, loco capaciore: si ergò fœtus fuerit parvus, frigidus, imbecillus, quæ erit exeundi necessitas?..... Quòd si partus respondeat conformationi (fœtûs), caloris autem & formatricis impotentiâ necnon humoris contumaciâ, conformetur tantùm* 50 *aut* 60 *die, exibit undecimo aut duodecimo mense: contrà si calor fuerit tam potens, conformatrix adeò robusta, materia tam obsequens ut die* 20 *dearticuletur, nascetur quinto mense.*

mulierum

mulierum sermonibus, quæ ultrà consuetum terminum præcipuè extincto marito pariunt.

(2) Facultas Lipsiaca majorem adhùc latitudinem impertitur, anno enim 1638, quartâ Decembris die statuit puerum ultrà annum ab extincto patre natum legitimum esse posse. — Statuto vigesimæ-sextæ diei Februarii anni 1674. Ingolstattensis Medicinæ Facultas legitimum pariter declarat partum duodecimi mensis octavo die absolutum. — D. *Lamotte* [a]. Exemplum mulieris profert quæ duodecimo exacto mense enixa est.

XIV. Sunt etiàm qui graviditatem ad decimum-tertium mensem extendi volunt. Medici à Prætore *Papyrio* consulti possibiles sanè agnoscebant hujusmodi graviditates, easque certè observaverunt cùm, ut suprà dictum fuit, statuerint puerum decimo-tertio mense in lucem editum legitimum esse. — *Cardano* id quoque constare debebat, *Pater meus, inquit, decimo mense se natum prædicabat* [b] D de *Lamotte* partum quoque ad decimum-tertium mensem & quidem exactum perferri posse putat. .... *J'appelle l'enfant être à terme depuis le commencement du septieme mois jusqu'au dix, douze & même au treizieme* [c] idque unicâ astruit observatione [d]. In thesi quam D. *Wagner* de partu serotino propugnavit, factum legitur de quo D. *Heister* qui thesi præerat sedulò inquisiverat, uxorem scilicet Bibliopolæ ex urbe Wolfenbuttel, enixam ter esse decimo-tertio mense. Refert idem Facultatem Helmstadiensem de puero decimo-tertio graviditatis mense orto consultam, legitimum eum censuisse. In decimum tertium.

XV. [1] Complures ad quatuordecim quoque menses gestationem produxerunt, quibusdam innixi observationibus, unam tantùm inter recentiores desumemus ex opere gallico, cui titulus, *Mercure de France* mensis Novembris anni 1717, in quo, pag. 218, de muliere legitur per quatuordecim menses gravidam faustè tandem marem vitalem edidisse — *Riolanus* filius (e) partum in quintum-decimumm ensem, & ultrà incidere statuit. In decimum quartum & decimum quintum.

---

[a] Traité des accouchements, part. II. liv. 1. chap. 5. p. 110 & 111. observ. LXXXVIII.

[b] *Cardan. lib. I. tract. 3 contradict. 8.*

[c] Traité des accouchements, part. *II.* liv. 1. ch. 4. pag. 301.

[d] *In eodem opere observ. XCI, pag. 313.*

(e) *Joannis Riolani filii, Anthropographiæ, lib. VI. cap. IX. pag. 640. frequentissimum & ordinarium pariendi tempus est nonus mensis, si tamen in decimum aut undecimum protrahatur, nihilominus legitimus erit partus, quamvis Hipp. statuit decimum mensem, vel principium undecimi terminum generationis longissimum, at videmus aliquandò naturales partus in 12, 14, 15 menses usque ad biennium incidere, ut innumeris historiis demonstrat* Schenkius *in observat. med.*

In Decimum sextum.

(2) D. *Lieutaud* (*a*) graviditatem censet usque ad decimum-sextum mensem perdurare posse. Observationes quibus fulcitur hæc sententia præbet *Schenkius*. Juxtà *Bellocatum* Medicinæ Professorem Patavii refert *Spigelius* (*b*), sororem D. *Burcel* viri scientiâ in urbe celebris, decimo sexto mense peperisse. *Harveus* ut refert *Verduc* (*c*), narrat visam à se mulierem quæ cùm infantis motum à mensibus decem & ultrà persensisset, decimo-sexto mense feliciter enixa est.

In octavum decimum, aut etiam in vigesimum.

XVI. Tandèm D. *Petit* in opere gallico jàm citato, observationibus probat graviditatem in aliquot ultrà menses protrahi posse; laudat *Bodinum*, qui refert Senatorem Supremæ Rothomagensis Curiæ in actis publicis conscribi jussisse de muliere quæ decimo-octavo mense enixa est. — *F. Bayle* (*d*) Tolosanus Professor Medicus de *Ant. Girault* mentionem facit, quæ nono mense passa dolores parturitios, doloribus sedatis, decimo-octavo filiam vivam edidit. D. *Bertin* matronam novit quæ per octodecim menses gravida prolem fausto partu dedit. — *Sennertus*, juxtà *Fabertum* refert mulierem sæpiùs consueto tempore enixam, decimo octavo mense & rursùs vigesimo peperisse.

Hìnc serotini partus possibiles sàltem eruuntur.

XVII. Indubitatum mihi post tot & tanta testimonia videtur, partum aliquoties in longum tempus proferri. Serotinos igitur partus libenter possibiles admitto, fortuitòque partus ejusmodi extitisse fateor. Non me quidem fugit nonnullos plerasque auctoritates, & facta quædam relata in dubium vocare; sed apud æquam & veritatis amicam mentem præstare non debent paucissimi quidam ingenti Scriptorum agmini, qui facta illa tuentur, quæ, ut scitè aït D. *Lieutaud* (*e*), ratiociniis solis hucusquè impugnata sunt. Nunc tantùm quædam attendenda supersunt.

(*a*) *In opere gallico cui titulus.* Précis de Médecine pratique, liv 3. sect. 1. maladies des femmes, pag. 471. *Sequentia leguntur* : » le terme » de l'accouchement est, comme tout le monde sçait, à la fin du neuvieme » mois : cependant il est quelquefois prématuré ; c'est-à-dire, qu'il » arrive au huitieme, au septieme & quelquefois même au cinquieme » mois, comme plusieurs observations semblent l'assurer ; ou tardif, » comme au dixieme, au douzieme, & même au seizieme mois ; ce » dont il est très-important d'être prévenu. Je n'ignore pas que cette » opinion, fondée sur les histoires qui sont entre les mains de tout le » monde, a été fort attaquée ; mais, il me semble qu'on n'a opposé à » des faits que des raisonnements.

(*b*) *In opere de fœtûs formatione.*

(*c*) *Verduc*, usag. des part. tom. 1. pag. 60.

(*d*) *In opere gall. cui titul.* Histoire d'une grossesse de vingt-cinq ans, *in lucem edito an.* 1678.

[*e*] *Loco citato.*

XVIII. III°. (1) Quid ex variis Scriptorum de graviditatis diuturnitate opinionibus, factisque, quibus nituntur, concludendum, nisi tempus partûs instabile esse, & usque ad certum gradum variare; itaque *Spigelius* (*a*) juxtà innumeras à *Schenkio*, aut à se collectas observationes, incertum esse terminum partûs definit. Fatendum tamen est non frequentes esse serotinos partus, & eò rariores esse quò diuturniores sunt.

Quid ex varietate sententiarum concludendum?

(2) Cùm igitur constet de infrequentiâ hujusmodi partuum, qui à consueto naturæ ordine discedunt, ad eos quàm maximè attendere debet prudens Medicus. Hâc de causâ sententiam referemus *Hervei*, qui serotinorum partuum notus assecla est his verbis: *Certissima quoque graviditatis signa non modò ignaras mulieres, sed obstetrices expertas & peritos etiam Medicos atque attentos fefellerunt: quàpropter cùm præter dolos muliebres varia sint prægnationis falsa indicia, de partu inordinato haud temerè statuendum est.* — *Alberti* [*b*] Professor in Hallensi Facultate, quàmplures ponderandas proponit circumstantias, ut veritas serotini partûs dignoscatur: eas memorare inutile videtur, utpotè ratione subjectorum variantes & ferè innumeras.

XIX. Cùm verò quidam ex adversariis ad demonstrandum inutile esse & non sufficiens examen de quo hìc agitur, contendant illud falsò inniti principio immotis naturæ legibus adversanti: nobis liceat quædam breviter proponere de immutabilitate legum naturæ quam rigidiores nobis objiciunt, in quo etiàm eos impugnant, qui vel minimam varietatem admittunt, dissertationes physicas eorum qui ex utrâque parte de præsenti quæstione ex professo egêre, non aggrediemur. Eis reponere satis erit, si non disjungerent generalem legem de progeneratione entium juxtà genus suum, à generali quoque & non minùs certâ lege, quâ singulæ causæ suum generant effectum, futurum ut conciliare nobiscum certè possent exiguas variationes legum peculiarium (aliquâ occurrente causâ) cum stabilitate naturæ legum in genere sumptarum.

Nùm legibus naturæ adversatur in termino partûs varietas?

XX. Sic spectatis naturæ legibus rectè non solùm serotinos partus admittimus, imò etiàm limites quoscumque præfinitos rejicimus, hominem existimantes naturam observare posse, non verò ei leges imponere. Nam ut scitè, aït *Seneca*, *non respondet ad propositum, nec ad certum diem fecunditas: sui juris rerum natura est, nec ad leges humanas componitur; modò properat, modò vota præcurrit, modò lenta est, & demoratur.*

Certi limites non præfiniendi.

[*a*] *In opere jàm citato, cap. XX. de partûs tempore, modo & causâ.*
[*b*] *In opere cui titul. Systema Jurisprudentiæ Medicæ, pag. 258.*

DE PELVIS DIMENSIONIBUS AD PARTUM SPECTANTIBUS.

XXI. (1) Hic non intempestivum fortè erit quædam breviter de anatomicis relativè ad partum notitiis præmittere. primò de Matre; secundò de Infantulo.

(2) Partes quæ apud feminas generationi, fœtûs incremento, exclusionique inserviunt, aliæ duræ, aliæ molles sunt. Harum posteriorum cognitione præsuppositâ, de his tantùm dicendum veniet, ubi de curis, quas tùm ante partum, tùm perseverante labore, tùm post puerperium, expostulant.

(3) Sub titulo durarum venit cavitas illa ossea in quam desinit truncus, *pelvis* dicta, quæ licèt directè generationi non inserviat, non exiguam tamen ei operam navat, fulcimentum præbendo partibus mollibus, quæque, ratione conformationis, facilem, difficilemve, aliquandò etiam impossibilem, viâ solitâ, partum efficit.

Pelvis duplex.

XXII. (1) Juxà prominentem marginem dividitur pelvis in duplicem cavitatem, cavitas superior; pelvis magna nuncupatur; inferior parva pelvis dici solet. In efformandâ magnâ pelvi concurrunt vertebræ lumbares, & pars superior ossis sacri; latera efformantur partibus duabus ossium ilium superioribus; terminatur autem anticè minimâ parte ossium pubis.

(2) Etiamsi quædam habenda sit ratio magnæ pelvis relativè ad graviditatem & partum; attamen nostra præcipuè in pelvim parvam verti debet attentio; hæc quippè primas partes in partu absolvendo gerit. Posticè constituitur maximâ ossis sacri parte & osse coccygi: anticè ossibus pubis & ad latera tertiâ quartâve inferiori ossium ilium parte & ossibus ischiis.

(3) Tria in pelvi parvâ consideranda veniunt, ejus scilicet aditus, sivè apertura superior; ejus exitus sivè apertura inferior, ejusque capacitas excavationis nomine insignita.

Superior apertura.

XXIII. (1) 1°. In feminâ ritè conformatâ ferè circularis esse debet aperturæ superioris figura, in modum tamen cordis lusoriorum foliorum desinens.

(2) Figuram aperturæ superioris dimetiuntur obstetricantes lineis tribus ab uno circumferentiæ puncto in oppositum per centrum ductis, quas vocant diametrum anteriorem, transversam & obliquam. — Diameter anterior à symphysi pubis ad usque partem superiorem ossis sacri pertingit: longitudo illius à tribus pollicibus & semi ad quatuor & semi extenditur. — Diameter transversa ad angulos rectos anteriorem secans, in utroque latere aperturæ terminatur, vulgò pollices quinque & aliquot lineas continens. — Tandem diameter obliqua duplex à marginibus internis utriusque cavitatis cotiloïdeæ, ad usque unionem ossis sacri

cum

cum offibus ilium decurrit. Hæc licèt diameter tranfverfa aliquot lineis brevior fit in pelvi carnibus denudatâ, attamen major illa eft in parturiente.

XXIV. (1) 2°. Exitus five apertura inferior anticè incifa eft angulo intrò recedente; pofticè verò & ferè juxtà latera duobus angulis pariter intrò recedentibus, quorum angulorum latera totidem prominentes angulos efformant. Apertura inferior.

(2) Hæc quoque apertura fuam habet diametrum anteriorem, tranfverfam & obliquam. — Diameter anterior à margine inferiori fymphyfis pubis ad ufque coccygis apicem decurrit. — Diameter tranfverfa fpatium emetitur quod inter binas ifchiorum tuberofitates interjacet. — Diameter obliqua duplex à ligamentorum facro-ifchiaticorum divifione extenditur, ufque ad mediam & fub anteriorem partem ifchiorum.

(3) In ritè conformatâ pelvi hæ diametri ferè æquales funt, illarumque longitudo à tribus pollicibus cum femiffe ad quatuor pollices & femi pertingit; juxtà flexibilitatem coccygis diameter anterior pluribus lineis crefcere poteft.

XXV. 3°. In parvâ pelvi confiderandum venit fpatium quod intrà duplicem aperturam jacet, ab obftetricantibus excavationis nomine donatum. Hujus latitudo utramque aperturam fuperat; ejufque profunditas, pro vario loco quo inftituitur ejus menfura, variat. — Vulgò à parte fuperiore offis facri ad coccygis extremum hæc affurgit ad quatuor aut quinque pollices: fi verò à fuperiori margine anteriore & laterali ad ufque partem ifchiorum inferiorem menfuretur, altitudo trium & femi pollicum, quatuorve invenietur. A fuperiore autem fymphyfis pubis parte ad inferiorem ejufdem fymphyfis partem ea pollicem unum & femi, aliquandò pollices duos explet. Excavatio.

XXVI. (1) Notandum eft, circà extremum graviditatis tempus, fubftantiam ligamento - cartilaginofam pelvis offa connectentem, aliquandò adeò fero imbui, ut præfatarum diametrorum fenfibiliter increfcat longitudo, offaque quâdam mobilitate donentur, quod imprimis prodeft in cafibus quibus moles capitis fœtûs partui officit. Cartilaginum tumefactio.

(1) His pofthabitis, cuncta tam abfolutè quàm relativè difcrimina in expofitis pelvis dimenfionibus, vitia conformationis audiunt. — Pelvis coarctari poteft à pofteriori parte in anteriorem; ab anteriori in pofteriorem; à fuperiori in inferiorem; ab inferiori in fuperiorem, & in omnem fenfum.

XXVII. (1) Si offis facri cum columnâ vertebrali cunjunctio juxtà pelvis axem nimis progrediatur, apertura fuperior arctior, inferiorque latior erit: fi hæc contrà retrorfum projiciatur, coccyge neceffariò antrorfum cedente, inferior tùnc apertura arctior, fuperiorque latior erit: Harum conformationum prior, partûs initium & progreffum moratur, Vitia pelvis.

ejusque terminum periculosè accelerat : posterior è contrà celeres præbet progressus, sed mox tardiores.

Transversè occlusa pelvis.

(2) Si pars pubis anterior plana sit, vel si cùm introrsum concava deberet esse, convexa sit, viciniorque parti superiori ossis sacri ; vitium illud à nonnullis pelvis transversè occlusa (*gallicè barré*) dictum, laboris principium veluti in priori casu suprà enarrato, multò difficilius efficit, partuique etiàm penitùs obstat, si adeò coarctetur ejus aditus ut manum immitti non sinat. — Obstetricantes quidem hoc nomine pelvim donârunt cum symphysis longior est, crurave pubis viciniora inter se quàm ut posteriora capitis fœtûs intermeare sinant. Hocce vitium licèt maximum, superiori tamen minus est, ratione scilicet habitâ & flexibilitatis coccygis & tumefactionis juncturarum. — Nostrâ verò sententiâ [a], pelvis transversè occlusa dici debet, quoties apex anguli intrò recedentis anterioris, seù incisionis pubis non duobus pollicibus distat à coccygis apice, pelvi horizontaliter impositâ.

Tumefactio symphysis pubis.

XXVIII. (1) Pelvis alio laborat vitio orto à tumefactione substantiæ ligamento cartilaginosæ post aliquot partus apud quasdam mulieres symphysim pubis transcendentis in excrescentiæ modum, quæ, diametro anteriore tantulò breviore, lapsui capitis fœtûs officere potest.

(2) Prominentia cavitatis cotyloïdeæ in claudis quibusdam aliquam novam parit difficultatem, quâ sæpè obstetricans inducitur ad partum absolvendum arte, alioquin fortasse solis viribus maternis terminandum.

(3) Causa coarctationis pelvis minùs rara, rachitis est quo à tenerâ infantiâ tentari cœpit mulier. — Contendunt quidam hunc metuendum esse effectum in pueris tantùm infrà tertium quartumve annum. Alii periculum secundo tantùm anno adscripserunt.

DE UTERI RELATIVÈ AD PARTUM SITU ET PRÆCIPUE DE EJUS OBLIQUITATE.

Fulmenta uteri ejusque situs.

XXIX. (1) De partibus licèt mollibus differendi mens nostra non fuerit, hìc tamen quædam de respectivo ad pelvim uteri situ intermittere non absonum erit, multùm enim ad absolvendum partum confert. — Adhærent ligamenta propè fundum vacui uteri cujus orificium adhæsione vaginæ, vesicæ, & recto firmatur ; indèque eruendum est uterum equilibrium servare quod vix amitti posse videtur ; horum verò ligamentorum respectivus situs diversus est per graviditatem (fundo enim præcipuè evolutionem uteri suppeditante, ut infrà dicendum.) N. dùm ut anteà fundo vicina sint, eò magis ab eo distant, quò provectior est graviditas.

(a) *Simul & D.* Solayrès.

(2) Ità ut circà ultima tempora, distantia quæ ab insertione ligamentorum ad extremum uteri punctum, fundum scilicèt, habetur, duplò major sit distantiâ quæ ab eâdem insertione ad decliviorem partem, id est orificium, ducitur; dùm hæc contrà initio graviditatis erat non solùm in ratione inversâ, verùm etiam quadruplò major priori, non solùm superior ligamenti pars altior est, sed etiam multò latior, graviorque inferiori.

(3) Notandum molem hanc in ovi modum conglomeratam, quæ partibus dùmtaxat mollibus deorsum adhæret, & ex utroque latere fulcitur (tùnc tantùm & inferiùs) tenui & extensionis maximè capaci ligamento, facilè titubare & in alterutram partem deflecti posse, idque non rarò mulierum varios motus præstare.

XXX. (1) His positis facilè concipi potest uterum in gravidis varios sortiri posse situs, cùm ultrà superiorem aperturam progressus est, vel in abdomine jacet. Situm quippè naturalem aut servat aut amittit: si servat, rectum uterum habeo, hujusque tùnc apex ad axim cavitatis pelvis, fundusque ad umbilicum directè inversi sunt. Si non servat, & in quandam partem inclinetur, obliquum dico uterum, ideòque pravo fruentem situ, de quo hic præcipuè quæstio est. *Obliquitas multiplex.*

(2) Pluribus modis peccare potest uteri situs; circà quatuor dùmtaxat pravi sitûs species versabitur quæstio; aliæ enim ex his prioribus constant & ad illas referuntur.

XXXI. (1) Prima species fit cùm corpus uteri ad columnam vertebralem nimis propè adjacet, fundusque diaphragmati innititur, tùnc orificium altiùs directè ossibus pubis adversatur; undè accidit, ut, cum fundus corpusque in fœtum agunt, is capite ossa impetat, quod contractionis vires frangit, orificiique dilatationi obstat. Vel, & hoc quidem pejus, capite suprà ossa gliscente, ità situs est infantulus, ut averso corpore, brachium, manusve orificio occurrat. Præter quàm ex directione præcipuâ uteri quæ fit juxtà abdominis directionem, tùnc antrorsùm exiguam projectionem præbentis, sed tantùm in altitudinem patentis; præter quàm etiàm ex positione anteriori, superiorique ossis tincæ; ex difficultate, quæ in prædicto casu oritur, os illud tangendi, erui potest iste uteri situs, qui licèt raròadmodum eveniat, possibilis tamen, multùmque tùnc molestus est. *Prima obliquitatis species.*

(2) Præter rationes jàm allatas; maximè pendere videtur à musculorum abdominalium resistentiâ & deflexione retrorsùm columnæ vertebralis suprà ipsius juncturam cum osse sacro (in hoc casu nimis anticè projectam).

(3) Huic situi positione aptâ mederi potest obstetricans, quod meâ sententiâ facilè præstabitur, muliere in genua astante; parte superiori flexâ, cubitis innixis pulvinaribus, eâque hunc situm servante, donec uterus proprio pondere accesserit ad positionis optatæ lineam horizontalem,

quæ, muliere ſtante aut jacente, perpendicularis erit. Si etiàm fieri poſſit, exiguis motibus contendendum eſt ut orificium ad axim pelvis redeat, quod ſponte præſtabit ſi fundus aptam poſitionem recuperet. Tùnc mulier, femoribus divaricatis, in illo ſitu obſtetricari poteſt, hunc mutando, mutetur etiàm uterus & in priorem reducatur poſitionem.

Secunda ſpecies. XXXII. (1) Sacunda ſpecies eſt cùm corpus uteri antrorſum incidit, quod fit in mulieribus quibus voluminoſum nimis abdomen eſt, in iis quoque quæ licèt volumine ſolito graventur, ſeſe premunt, ut elegantiæ ſtudeant: denique & ſæpiſſimè in iis apud quas recta nimis columna vertebralis, & apud quas faſciculus inteſtinalis directè propè columnam vertebralem adjacens uterum dejicit, juxtà tegumenta, quæ ſicut ligamenta adeò laxa ſunt, ut ponderi uteri reſiſtere non poſſint. Licèt de obliquo utero ex profeſſo non differuerit *Moriceau*, neque ad hunc attendere viſus fuerit, quædam tamen exempla ſuppeditat iſtius ſitûs & inter alia uteri antrorsùm ſuprà modum obliqui [a].

(2) In præſenti ſpecie orificium eò magis poſticè versùs ſacrum projectum eſt, eòque altiùs in quibuſdam caſibus ut fundus antrorſum inclinetur; tactu, viſuque deprehendi poteſt vitium illud, quod, ſicuti prædictum, partûs abſolutioni obſtat, cùm infantulus ſacri concavitatem impetit capite, ubi immotum ſtat, cumque contractionis vires, oſſium reſiſtentiâ franguntur. Undè fit ut fruſtrà contendat prægnans. — In hoc caſu convenit mulierem dorſo incubare in plano horizontali, & mitibus abdomini adhibitis frictionibus, levibus quoque orificio impreſſis conaminibus ut alterum anticè; alterum poſticè reducatur: huic ità pravo ſitui ſuccurritur.

Tertia ſpecies. XXXIII. Tertia ſpecies eſt, cùm fundus uteri plùs, minùſve à perpendiculari recedens ad ſiniſtram vertitur, & eâdem proportione orificium ad dextram juxtà os ileum aut pubim. In hocque caſu infantuli caput oſſa iſta impetens frangitur aliquoties, & in hoc ſitu permanet; aut capite ſuperante prominentem marginem ſuperficiei oſſis ilii, ramumve pubis dextri, fœtus tranſversè venit.

Quarta ſpecies. XXXIV. (1) Quarta ſpecies eſt tertiæ inverſa, frequentiſſima eſt, & iiſdem ſubjacet incommodis, ac prædicta, ſi gravis ſit. Plerique uteri conatus abſumuntur partium durarum reſiſtentiâ, multùmque ipſius parietes exindè patiuntur incommodi. Succurritur præcipiendo ut prægnans lateri incubet huic adverſo, in quod obliquus incidit uterus. Sed cùm ſeriùs animadvertitur, ut in ſuperioribus, periclitatur infans; ſaltem obſtetricantis ope venit extrahendus.

---

[a] *Obſervation ſur la groſſeſſe, l'accouchement des femmes, & ſur leurs maladies*; Obſerv. 18.

(2) Ad id referri potest uteri ad dextram inclinatio frequentior; quàm ad sinistram, quòd mezenterium, cui tenuia intestina alligantur, potiùs ad sinistram tendat. Undè uterus ad dexteram sese componit, prætereà primis graviditatis mensibus intestinum rectum plerumque uterum cogit, ut pondere in latus dextrum feratur. — Ex vario obliquitatis uteri gradu major, minorve partûs difficultas oritur.

XXXV. Quamvis D. *Deventer* non primus [*a*] de utero obliquo locutus sit, huic tamen debemus, quòd veritatem illam quasi in lucem protulerit, aut saltem quòd indè praxi congrua eruerit. Hìc denique primus ex professo de obliquo utero disseruit.

DE COGNITIONIBUS ANATOMICIS RELATIVÈ AD FŒTUM.

XXXVI. (1) Sunt cognitiones ad fœtum relativæ, quas tenere non parvi obstetricantis interest. — Fœtus in utero consideratur relativè ad habitum, seù formam, vel relativè ad situm. — Talis est forma ut in ovoïdeam figuram conglomeretur. Hæc configuratio oritur à flexione trunci in partem anteriorem, mentum suprà pectus jacet, femora abdomini, crura femoribus, pedes cruribus, calces clunibus, brachia partibus lateralibus & paulò anterioribus pectoris, ulnæ brachiis, manus, pugnis factis, malis hærent.

Habitus seù forma fœtûs in utero.

(2) Fœtûs figura sic flexi tres habet diametros, quarum prima trium longissima à capitis apice ad partem inferiorem trunci protrahitur. Secunda, media scilicet, à medio dorso ad partem superiorem crurum extenditur. Tertia demùm brevissima ab hypocondrio dextro ad sinistrum sumitur.

Ejus diametri.

XXXVII. (1) Quoad fœtûs situm videtur, favente præfatâ formâ, in omnem sensum moveri posse in uteri cavo, quandò visceris hujus parietes aquarum copia servavit hinc & indè ità distantes, ut nullum circumferentiæ punctum majori corpusculi diametro repagulum ponat.

Ejus situs.

(2) Plerique obstetricantes posuerunt generatìm caput fœtûs fundo uteri hærere, clunes orificio, ejusque partem anteriorem abdomini; huncque servare situm, alii usque ad septimum mensem, alii usque ad octavum, alii usque ad laboris initium; quo tempore ejus inversionem fieri tuentur.

Sententia inversionis fœtûs in utero.

XXXVIII. Alii numero pauciores caput fœtûs niti orificio uteri putant à conceptionis initio ad usque tempus parturitionis. — Hæc sententia mihi videtur verisimilior, ut potè sanæ physicæ legibus consentanea, ex quibus corpus omne liquidò immersum situm sortitur relativum ad pondus specificum partium. Porrò quò minùs distat à mo-

Sententia opposita & verisimilior.

ultimæ sententiæ ratio physica.

(*a*) Thomas Bartholinus, *Anatom., liv.* 1. *c.* 23 *pag.* 162; Graaf *de mul. org. c.* 8. *pag.* 125, *de utero obliquo expressis verbis locuti sunt.*

mento conceptionis, eò majus eſt diſcrimen intrà pondus capitis & trunci, eò idcircò decliviorem in uteri partem caput cedere debet. Prætereà cùm in majori aquarum copiâ relativè tùnc natet, quàm circà partûs tempus, facilior eſſe debet capitis diverſio ad orificium uteri, initio conceptionis, quàm circà ultima geſtationis tempora.

Obſervationes in ejus ſententiæ gratiam.

XXXIX. In quibuſdam partubus abortivis, ſecundo, tertiove menſe, cùm fœtus membranis involutus prodit, in aquis natans, primo aſpectu, nullum proprium ſitum habere videtur. Certior tamen ſum, ſi lynceis oculis trans membranas congruè ſuſpenſas, fœtus obſervari poſſet, caput ejus, ut potè pars graviſſima, hærens fundo videretur. Quod confirmatur eo quod exanimis infans funiculo umbilicali in aquâ ſuſpenſus capite fundum petat.

Objectiones & reſp.

XL. Si objecerint adverſarii caput fœtûs ſeptimo tantùm, vel octavo graviditatis menſe occurrere tangendum orificio uteri. Reſpondeo oriri illud ex modo evolutionis uteri: ad id temporis fundus & corpus ſoli ferè dilatationi ſuppeditant, plus minuſve pervicaciter reſiſtit collum, denſitatemque non exiguam ſervat, undè fit, ut caput fœtûs licèt ad orificium verſum ab exploranti digito longiùs diſtet, quàm ut deprehendi valeat; poſt ſeptimum verò menſem apex coni quem efficit collum magis atque magis patulus evadit & caput digito, vel alia corporis infantuli pars occurrere poteſt.

Obſerv. pro utrâque parte,

XLI. Si afferantur obſervationes, quibus conſtet apud quaſdam mulieres ante ſeptimum menſem caput infantuli fundo uteri jacens fuiſſe repertum; alias & numero plures referre fas erit, in quibus caput ſitum contrarium ſortiebatur [a]. Ex tali diſcrimine ſequetur tantùm fœtûs ſitum aliquando variare poſſe; quod non magis noſtram, quàm adverſariorum ſententiam impugnat. Illis enim ſicut & nobis ſuper eſt ſolvendum argumentum.

Obſ. quibus ruit prima ſententia, Concluſio.

XLII. Fulciri autem poteſt noſtra ſententia experientiâ, quâ conſtat, partubus ante ſeptimum, ſextum, quintumve menſem advenientibus, plerumque caput infantuli primum occurrere. Itaque vel juxtà adverſarios, quolibet tempore admittendæ ſunt fœtûs inverſiones, aut nobiſcum ſentiendum, caput ſemper, plerumque ſaltem & conſtantiſſimè orificio hærere. — Cæterùm, ut fœtui ille aut iſte ſitus æquè commodus eſt, minimi momenti in praxi hæc diſputatio.

Conform. fœtûs, ejuſque partium dimenſiones 1°. Ejus capitis.

XLIII. (1). Præter formam omnimodam, ſitumque fœtûs in uteri cavo quædam obſervare non abſonum erit relativè ad conformationem, dimenſioneſque quarumdam ejus partium, nec non ad ejus articulos.

(2). Caput fœtûs modò in lucem edendi craſſius eſt, ſi cùm cæteris partibus conferatur, ſolidumque minùs quàm ſit reliquo vitæ tempore;

[a] *Lamotte traité d'accouchements; Obſ. LII. LIII. LIV.*

in figuram evadit ferè conicam, ſed in duplicem ſenſum: itàut baſis duplex, apiceſque gemini obſerventur. Prior baſis facies eſt cujus apex pars capitis poſterior: poſterior baſis eſt pars capitis collo hærens cui vertex apex eſt.

(3) Caput quoque conſiderari poteſt tanquam præbens figuras multas ovoideas; facies, anterior figura ovoidea nuncupabitur, occiput poſterior, vertex ſuperior, parietalia, figuræ laterales ovatæ dicentur.

XLIV. (1). Tot quoque diametri capiti fingi poſſunt, quot figuræ ovoideæ; ad quatuor tamen reduci poſſunt. Recta à baſi cranii ad bregma, hujus levis momenti eſt cognitio. Secunda in longitudinem patens à facie ad poſteriorem capitis partem. Tertia tranſverſa ab aliâ parietali eminentiâ ad alteram: obliqua tandem à ſymphyſi menti ad verticem parùm poſticè, ſeù ad punctum juncturæ occipitis cum parietalibus, hæcque longiſſima. Capitis diametri

[2] Cùm major, minorve facilitas partûs plerùmque pendeat à concordantiâ diametrorum capitis infantuli cum maternæ pelvis diametris, quantæ, ad abſolutionem partuum, qui obſtetricantis opem deſiderant, utilitatis ſit earum cognitio, patet.

XLV. Oſſium capitis ſtructura non ubiquè æqualis eſt. Oſſa cranii non penitùs oſſificata ſuturis; quod voluminis capitis diminutionem præſtat oſſium parietalium tranſcenſu, ſuturæ ſagittales & coronales, ſimùl parva ſutura, quæ in infantulis os frontale bipartitur, in eorum juncturam ſpatium linquunt membraneum quadrangulare *bregma* dictum, fontanellave anterior nuncupata, ut diſtinguatur ab altero ſpatio triangulari pariter *inoſſificato* & *membraneo*, orto à conjunctione ſuturæ ſagittalis cum lambdoidea, cuique nomen fontanella poſterior. — In quibuſdam etiàm exigua duo apparent vitia oſſificationis in lateribus, inferiorique parte utriuſque fontanellæ. Oſſium capitis ſtructura.

XLVI. [1]. Oſſa faciei vulgò majori ſoliditate pollent, arctiùſque ſecum quàm oſſa cranii cohærent. Faciei oſſium connexio.

[2]. Oſſa trunci, extremitatumque modò magis, modò minus flexibilia, non tamen nimis eorum flexilitati confidendum; ſæpè enim, præſertim longa, ruptionis periculo exponerentur. Annotationes circà alias partes.

[3] Notandum cunctas fœtûs apophyſes, epiphyſes eſſe, caput quoque & oſſium condilia, cavitatumque margines molliſſimas eſſe cartilagines.

[4] Quin etiàm partes cunctæ tàm carneæ quàm ligamentoſæ, quæ ſimùl oſſa fœtûs jungunt, parùm ſolidæ ſunt, ſed multùm extenſibiles.

[5]. Notandum deniquè cum in utero invertendus eſt fœtus in partem anteriorem facilè flecti poſſe; in poſteriorem verò nonniſi difficilè, imperfectiſſimè, periculoſèque.

DE SIGNIS QUÆ GRAVIDITATIS TERMINUM ET LABOREM PARTURIENTIUM PRÆNUNTIANT.

Signa rationalia.

XLVII. Hæc vel rationalia ſunt, ſenſuve capiuntur. — Rationalia ex iis habentur, quæ experitur prægnans & quæ percipere poteſt obſtetricans, vel aſpectu vel ſciſcitationibus, ad hæc reduci poſſunt, 1°. Tempus, ex quo mulier catamenia non eſt paſſa, ex quo infantuli motus ſentire cœpit — 2°. Circà extremum graviditatis tempus, gravida corpore poſteriùs eò magis reclinato incedit, quò uterus gravior & ad pubem declivior; idque ut gravitatis centrum in pedum baſim coincidere cogat — 3°. Abdomen præcraſſum ad ſummum pertingens ſenſibiliterque apud quaſdam mulieres decreſcens aliquot ante partum diebus — 4°. Dolores leves in poſteriorem lumborum regionem tendentes, non autem in renes ut quædam dicunt. — 5°. Apud quaſdam mulieres ultimo graviditatis tempore frequens & facilis eſt urinæ emiſſio, dùm apud alias hæc adeò difficilis ut neceſſe ſit uterum, uretram, collumve veſicæ prementem, digito ſublevare. — 6°. Efluxus humoris glutinoſi, plùs aut minùs aquarum, quæ ſpuriæ vulgò dicuntur. — Hæc autem ſigna valdè incerta ſunt, concurſuque dùmtaxat aliquid certitudinis afferre poſſunt.

DE TACTU.

XLVIII. (1) Hâc voce audiunt obſtetricantes unius, amborumve digitorum, in mulieris, puellæve vaginam immiſſione, detegendi causâ utrùm gravida & ex quo fermè tempore, quandoque etiàm utrùm morbus vaginæ incubet, &c. — Regulas tactui varias, ad varios relativè uſus aſſignârunt obſtetricantes. Hìc dùmtaxat eum conſiderabimus quatenùs ad dignoſcenda varia graviditatis tempora, terminum hujus, quæque in labore aguntur, inſervit.

(2) Tactus, reſupinâ vel ſtante muliere capitur, digitum indicem perunctum intrà vaginam adigendo (juxtà poſteriorem, inferioremque regionem, ne jucundior clitori procreetur ſenſus) pollice monti veneris incumbente, medioque digito perinæum ſuprà poſito; indicem immiſſum ſic pellet obſtetricans ab anteriori in poſteriorem partem, ferèque ab inferiori in ſuperiorem, exiguis à dextra ad ſiniſtram & vice-verſâ motibus os tincæ quærens juxtà coccygem fermè, ſemper jacentem. Attendendum eſt prætereà ad partium durarum conformationem, præſentemque mollium ſtatum.

DE SIGNIS QUÆ TACTU CAPIUNTUR.

Signa ſenſibilia.

XLIX. (1) Notandum 1°. Utrum vaginæ parietes ſint turgidæ, *coeſiret*

teris enim paribus, eò magis tumefactæ ac glutinosæ sunt, quò proximior partus instat. 2°. Digitum promovendo ad usque uteri orificium, attendendum est utrùm os tincæ omninò obtusum sit, plùs, minùsve patulum, an limbi orificii leves aut magis densi, & plus, minùsve pressioni facilè cedant : notando tamen orificium sæpè magis patulum & crassum esse in muliere pluries enixâ quàm in primùm gravidâ.

(2) Hinc in primo partu orificium facilè cedens pressioni, si limbi leves, sed molles facilè dilatentur; si plus minusve pertractentur membranæ, conjecturam licet inferre enixuram fore mulierem octo ante dies, quod sæpè quintum, quartumve antevertit. Si apud mulierem jàm pluries utero gravatam orificium non externum solum, sed internum quoque æquè patulum inveniatur, ità ut immissionem digiti permittat, si occurrant membranæ, limbique licèt crassi, ubique pari ratione cedant, prænuntiare potest obstetricans paucos intrà dies mulierem enixuram.

L. (1) Sæpè fit in primo partu prægnantem dolores experiri priùs quàm orificium intromissioni digiti pateat. Tùnc verò limbi adeò leves ut spontè ferè dilatentur, undè nullâ habitâ ratione dilatationis, partus proximus declarari potest. In quibusdam tandem graviditatibus orificium satis dilatatum est, ut digito membranas occurrere sinat, quamvis à quintâ decima die ad exactum mensem partus remittatur. Quamobrem tanquam axioma in arte obstetriciâ posuit *Manningham* his verbis. *Apertis oris uteri mulieris gravidæ non semper parturitionis est signum certum: nonnunquam enim orificium adeò patefactum in quibusdam invenitur ut digitum inferri sinat mensem ante partum* [a]. Ne falsum circà graviditatis terminum judicium ferat; concursus etiàm rationalium signorum tùnc desideratur. Varietas signorum sensibilium.

(2) Tactu raro utendum initio veri laboris; moderatè in progressu & infrequentissimè vel minimè circà terminum, cùm omnia benè se habent, & cùm mulier jàm enixa est, & præcipuè in casu quoque sanguinis ejectionis, ante terminum non adhibendus est tactus, ne laborem excitet. Annotationes generales relativæ ad tactum.

DE SIGNIS QUÆ INCEPTUM LABOREM DESIGNANT ET DE IIS QUÆ PERACTUM INDICANT.

LI. (1) Initio veri laboris observatur ad exiguos dolores quos mulier instante labore experiebatur, acerbiores accedere in coxas, pubem, quandoque femora tendentes. Mulier primùm de pondere aliquo sedem premente queritur, effluxus glutinosi crescunt, plerumque sanguine tinguntur, quod vulgò gallico sermone (*la femme marque*) de- Signa ineuntis laboris.

[a] *Art. obstetr. compend.*

ſignatur. Hâc tempeſtate limbi oris tincæ denſiores, ſolidioreſque tactu deprehenduntur; ejus orificium minùs patulum & in altum, retrorſumque magis tendens.

Decurſûs laboris ſigna.

(2) Secundo tempore, ſivè durante labore, dolores vehementer augentur, aliique ad alios accedunt, pulſus altior apprehenditur, facies rubeo ſuffuſa colore, interdum leves præcipuè in femoribus tremefactiones, gravis æſtus in corpore, qui in uvorem ubique mox deſinit. Os tincæ penitùs deforme tactu capitur, plerumque partem uteri poſteriorem in quam aſcenderat, deſerens ut locum ſuum iterùm, ſeſe magis ac magis dilatando, occupet.

De aquarum formatione & membranarum ruptura.

LII. (1) Tùnc, vel ſeriùs, pars membranarum orificii vicinior in illud procedit ſingulo doloris ſtimulo cum majori, minorive aquarum copiâ, ſimùlque eminentiam in vaginâ conſtituunt, cùm illud ſignum abeſt, veritati laboris non adhibenda fides; argumentum ſaltem eſt aquas ante tempus effluxiſſe, vel minimam eſſe earum copiam, quod difficilis partûs metum inducere debet.

(2) Tandem cùm dolores vividiores, acutiores, diuturniores & frequentiores fiunt, prægnanſque quaſi acta, his conatur uti potentiis contrahendo ſcilicèt validè muſculos abdominales, ut tandem capacitas abdominalis minuatur. Tùnc finis laboris parturitii adeſſe intelligi poteſt.

(3) Orificii tùnc dilatatione majoris nummi argentei circumferentiam ſuperante, vividiſſimo doloris acu rumpuntur membranæ & aquæ effluunt. Recreatur mater, quieteque eò longiori potitur, quò cæteris paribus, major, minorve in utero erat aquarum copia. Inſequenti verò doloris ſtimulo caput fœtûs progreditur, orificium uteri magis ac magis dilatatur, omneſque vaginæ partes huic excipiendo præſtò ſunt.

Signa deſinentis laboris.

LIII. (1) Si tùnc nihil laboris legibus obſtet, intrà breviſſimum tempus partus abſolvitur; ſi verò caput ruptis membranis non extrà vulvam promineat, plerumque quædam aquarum copia interdùm ante & poſt ſingulum doloris ſtimulum elabitur.

(2) Effluxis aquis, caput dilabitur, gravatque plùs minùſve ſedem: ità ut parturiens ventre levari credat neceſſe. Quantulocumque tempore caput moretur, parietalia in ſe parùm tranſcendunt.

(3) Vomitus quandòque occurrentes, leveſque tremores, fauſtum omen portendunt, partûſque terminum mox adfuturum. — Poſtquam de ſignis, quæ terminum graviditatis, inſtantem laborem, varioſque ejus ſtatus declarant, diſſeruimus, agendum nùnc de illis quæ laborem parturitium diſcernunt à ſpurio qui longiori breviorive ante graviditatis terminum tempore oritur.

DE LABORE SPURIO.

LIV. Hâc voce deſignantur dolores, qui gravidam in utero, lum-

bis, vesicâ, intestinis, stomacho, cæterisve partibus abdominis torquent; etiàmsi non adsit, vel non tùnc præcisè adfuturus sit partus, sed qui laborem tamen determinare possunt, nisi caveatur: mater, prolesque periclitantur, si obstetricans pro labore parturitio habeat dolores spurios interdùm excitatos à quibusdam causis accidentalibus partûs de quibus infrà, sæpiùs verò immediatè à plethorâ, flatibus, pravisve succis in stomacho degentibus, colicâ aut ventris fluxu, dysenteriâ vel tenesmo, sivè etiàm ab inflammatione in quibusdam abdominis visceribus procreatos.

DE SIGNIS QUIBUS LABOR PARTURITIUS A SPURIO DISTINGUITUR.

LV. (1) Labor spurius tempore graviditatis magis, minusve provecto proferre sese potest: hujus autem graviditatis terminus habetur ex signis suprà allatis. Cùm igitur obstetricans accersitus ad laborantem, omnia aut saltem maximam signorum horum partem non deprehenderit, laborem spurium præsumere potest.

(2) Absentibus signis graviditatis terminum denotantibus, addi possunt alia præsentia, tùm rationalia, tùm tactu capienda. 1°. Notitia variorum accidentium quæ laborem antecessère. 2°. Natura & species dolorum qui gravidam angunt. 3°. Variorum symptomata morborum, ex quibus sæpè oriri spurium laborem prædiximus, totidem signa rationalia sunt, de quibus inquiri decet. Signa spurii laboris affirmativa.

LVI. (1) Varia accidentia, quæ laborem præcessère, obstetricanti nota sint necesse est, non solùm ut judicium de laboris naturâ ferat, sed etiàm ut quantùm in ipso est, ei succurrat; idque eò magis, minùsve facilè præstabit, quò plùs, minùsve grave fuerit accidens, major, minorve ejus impressio, graviditas quoque magis minùsve provecta. Varia accidentia.

(2) Naturâ & specie dolorum, quibus angitur mulier, labor spurius à labore parturitio discerni potest. Spurii nonnunquàm constantes sunt, plerumque continui; nullo intervallo (constanti saltem) disjuncti, ferèque semper mala quâdam affectione comitanti. Quique prætereà à se invicem singulari quâdam notâ differunt: qui à colicâ procreantur, his medemur, vel saltem levantur linteolis calefactis ad ventrem adhibitis, interiori olei amygdalini usu, venarum sectione, clysmatibus emollientibus: hæc contrà omnia laborem excitant parturitium. Qui ab aëre in tubâ intestinali hospitante oriuntur, vagi sunt & flatibus ore vel ano editis levantur. Qui ab inflammatione non solùm continui sunt, sed etiàm parti affectæ hærentes, dùm laboris parturitii dolores alterni sunt, progressione crescente, cunctique in uterum tendentes. Dolorum natura.

Morborum symptomata.

(3) Spurius tandem labor à quodam morbo procreatus, variis hujus symptomatibus dignoscitur. Altus, plenusque pulsus, capitis pondus, tinnitus aurium, membrorum torpor, faciei, oculorumque vividus color, à plethorâ provenire designant laborem ante terminum accidentem. — Borborigmi stomacho orti, flatus ex ore, anove prodeuntes, indicant dolores, quos suspicari licet, ab aëre in tubo intestinali degente, procreari. — Ructus verò nùnc acidi, nùnc nidorosi, putridive, eos à pravis succis in primis viis hospitantibus oriri denotant. — Acuti in abdomine dolores plùs, minùsve patentes, plùs minùsve stabiles, sæpè vagi, queis sæpè constrictionis sensus adjungitur simùl cum cæteris symptomatibus variis colicæ speciebus idoneis, spurium laborem nuntiant. — Materiarum dejectio fluidarum à fluxu ventris, commixtio sanguinis cum fecalibus à dysenteriâ, frequens ventris evacuationis sollicitatio à tenesmo, spurios procreari dolores denotant.

Signa affirmativa quandò certa.

LVII. Signa ista rationalia satis per se ambigua sunt (saltem pleraque); quià labori vero adjungi possunt, ferè certa evadunt, cùm absunt signa, quæ graviditatis terminum, instantemque laborem parturitium prænuntiant. — Obstetricanti verò nullus dubitandi locus remanet cum gravidam tangens ut de signis sensibilibus parturitii laboris (§. XLIX.) certior fiat, ipsis adversa capit; idest cùm vaginæ parietes nec glutinosos reperit, orificium externum penitùs clausum, aut saltem internum in jàm enixis mulieribus & etiàmsi parùm patulum sit; si tamen membranæ laxæ, mollesque sint, stimulante dolore; si orificii parietes duri & crassi pressioni difficilè cedant; si denique nullus fuerit effluxus humoris glutinosi, laborem spurium rectè pronuntiare potest & quâcumque viâ comprimendus est.

Spurii laboris indicatio curatoria.

LVIII. Indicationi quæ magis urget primùm succurrere decet (ratione tamen habitâ causæ & naturæ dolorum spuriorum), enitique ut dolores desinant laborque spurius cedat; quòd venarum-sectione præstabit obstetricans, clysmatibus emollientibus interdùm si casus postulet plùs, minùsve *sedantibus*, ptisanis lenitivis & diluentibus, præcipuè quietem & accubationem gravidæ inspirando. Denique conferendo curationem spurii laboris cum curatione singulari morbi antecedentis qui hunc procreavit, sequè juxtà temperamentum & circumstantias gerens, talibus facilè laborem spurium placabit.

DE PARTUS MECHANISMO.

LVIII. (1) Explicatio hujus phœnomeni multis hypothesibus occasionem præbuit, quarum pleræque ab imaginatione potiùs ortæ, quàm veritati consentaneæ sunt. Hìc meam tantùm sententiam dicturus, non eas referendas puto, multò minùs de iis differendum. Cl. *Petit* fusè illas

impugnat

impugnat ubi de mechanif. & cauf. pag. 29. ad 49. inclufivè [a].

(2) In duas igitur claffes partûs caufas diftinguendas effe cenfeo, accidentales nempè, naturalefque fivè ordinarias. Caufarum partûs diftinctio.

(3) Accidentalium nomine intelligo varios morbos, quibus angi poteft prægnans, nimiam laffitudinem, debilitatem, exinanitionem, mœrores, animi pathemata, ictus, prolapsus, violenta remedia, aliafque improvifas caufas quæ partum ante tempus promovent, quæque idoneis remediis levandæ funt. Caufæ accidentales.

LX. (1) Caufæ ordinariæ, de quibus hìc agitur, dividi, ut opinor, poffunt in determinantes, efficientes, auxiliarefque fcilicèt opus Chirurgicum. Caufæ ordinariæ.

(2) Fœtus perfectionem affecutus prima eft caufa partûs, fivè pondere & motibus plùs minùfve uterum irritando, fivè, ut quidam cenfent, ratione molis & ponderis id folùm præftet. Fœtus animati extinctæ matris utero egreffi, vel causâ delapsûs uteri inertis editi, priorem fententiam adftruunt. Expulfio fœtûum exanimatorum, molarum, &c., pofteriorem confirmare videntur. Celeb. *Petit* qui motus infantuli impares putat excitandis uteri contractionibus, & qui nullam aliam admittit caufam præter uteri irritationem, cùm graviditas terminum attigit, mihi pofteriorem fententiam ferè amplecti videtur, cùm mole dùmtaxat nimis diftenduntur fibræ fpirales contractilefque, quibus indui cenfet collum, corpufque uteri, quæ nimia diftentio contractiones excitat per quas expellitur fœtus. Caufæ ordinaiæ determinantes.

(3) Nos verò cenfemus fœtus viventes poffe motibus fuis laborem determinare quoties irritabunt uterum. Cenfemus quoque id non parùm præftare poffe mole, pondereque uterum fatigando, cujus extenfio certos inter limites hæret, quos prætergredi non poteft, nifi dolorem vifceri huic pariat primæ contractionis caufam.

LXI. (1) Modus evolutionis uteri caufa eft etiàm conftantiffima partum determinans. Oritur hæc à fundo, medium circà graviditatis tempus, protrahi incipit corpus, magifque ac magis pergit. Tandem collum, quod ufque ad feptimum menfem fucceffivè longius, craffius, molliufque evaferat, reftringitur: dùmque magis ac magis patet, ut ultimis temporibus, incrementum utero præftet, paulatìm definit circà extremum geftationis tempus, præbens tantùm circulum plùs, minùfve craffum uterino corpori hærentem. Modus evolutionis uteri partum determinans.

(2) Uterus ad fummum dilatatus, ut fœtum & attinentia capiat, in parte inferiori vacuum relinquit, eò majus quò generalis major extenfio: vacuum illud infantuli pondus fuftinendo impar aperitur, latiuf-

[a] *In oper. gall. jàm cit. cui titulus.* Confultations en faveur des naiffances tardives.

que patet, Pars illa inferior demittitur, hincque uteri fundus coarctatur. — Uterus hoc eodem tempore (fessus sive motibus, sivè mole aut pondere fœtûs, sivè quia ultrà patere nequeunt fibræ à D. *Petit* admissæ). Ad contractionem tendit, eòque faciliùs, quò fundus ultima colli dilatatione levatus plùs minùsve progressus est, quod ad contractionem illum idoneum præstat.

Causæ ordinariæ efficientes.

LXII. (1) Labor parturitius producitur à quibusdam potentiis, quarum aliæ ex suprà dictâ causâ ortæ, ab obstetricantibus dicuntur contractiones uterinæ, & à vulgo dolores. Aliæ, quas quodam modo determinant priorum stimuli, sunt contractio musculorum abdominalium, & gravidæ inspiratio ad coarctationem tendentis.

Priores causæ efficientes.

(2) Contractiones uterinæ sunt series actionum hujûs visceris: actiones illæ brevissimæ sunt, sed frequentissimæ, inter se distantes majori, minorive intervallo: illarum vis major minorve est relativè ad varios status laboris. Variat etiàm earum virium gradus ratione regionis uteri in quam agunt: initio laboris contractiones uterinæ non valdè agunt; earum vis sensim crescit, & extremum circà tempus adeò validæ sunt, ut vulgò absolutionem partûs præstent.

(3) Partes uterinæ non omnes pariter in contractionem tendunt, corpus hujûs visceris validiùs coarctatur; fundus verò minùs, (initio contractioni generali resistit, tantùm, & circà medium laborem, actionis contractivæ consors); collum & orificium aliarum licèt partium vi cedant, attamen plùs minùsve, initio præsertìm resistunt, itàut dici possit, omnes uteri partes coarctari, sed in vario gradu: undè fit ut pars fortior superet debiliorem, alioquin si pariter cuncta uteri puncta resisterent in contractionis generalis instanti, fœtus in lucem non ederetur, nisi lacerato utero, corpus aliquodve infantuli membrum in cavitatem abdominalem delaberetur.

Posteriores causæ efficientes.

LXIII. (1) Dolor à contractione ortus prægnantem impellit ad utendum potentiis quæ partum adjuvant, quas contractionem musculorum abdominalium, matrisque inspirationem prædiximus; absque consilio, inattentâque muliere, his potentiis aliquandò utitur. Unà simùlque istæ agunt, & ferè æqualiter, nec earum variat natura; absoluto enim partu, in eodem statu perseverant.

(2) Sunt casus in quibus, utero inerti, obstetricantes ultrò contractiones excitant, digitum ligamentis sacro-ischiaticis inferendo. In his casibus præit dolor, prægnantemque inducit ad potentiis utendum auxiliaribus, sivè ad musculos abdominales contrahendos, quod gallicè dicunt *Pousser*; ultimò tandem uteri contractio agit.

DE AGENDI MODO ORDINARIARUM PARTUS CAUSARUM EFFICIENTIUM IN CASIBUS NATURALIBUS.

LXIV. (1) Ex iis quæ suprà diximus de evolutione uteri, patet ori-

ficium & collum per totum graviditatis tempus corpori & fundo hujus organi esse adversaria : contrà verò tempore laboris, corpus, fundusque (ratione superiùs allatâ minùs distenta & ad contractiones magis idonea), tùm adversantur collo & orificio, quorum vis gradatim minuitur ratione dilatationis quam patiuntur.

(2) Primo igitur instanti, quo uterus primo dilatationis colli gradus parùm levatur, eâ proportione coarctatur, fœtum & attinentia expellit, juxtà regionem uteri minùs resistentem, id est juxtà orificium (quod licèt coarctetur instanti contractionis generalis, multò minùs tamen agit, quàm corpus & fundus, meramque ferè, tunc tantùm præbet resistentiam) orificium huic contractioni iterùm cedens, novâ dilatatione vacuum auget circà fundum.

(3) Hoc vacuum magis ac magis fibras fundi & corporis agere finit in corpora inclusa, ad ea juxtà viam minùs resistentem pellenda. Hâc viâ iterùm sedente, novæ oriuntur contractiones, validiores magis ac magis evadentes, & eo minori intervallo à se distantes, quò vicinior partus. Musculares uteri fibræ quiete hâc novas vires recuperant, quibus acriùs in latus resistens agunt, itàut post iteratos conatus sufficienter dilatatur orificium, ut percipi possint membranæ aquis tensæ, & distinguatur situs infantuli cessante dolore.

LXV. (1) Progressus dilatationis orificii eò celeriores sunt, quò partus propiùs ad terminum accedit. Orificio presso undique ; hinc pondere infantuli & aquarum quæ adhùc in membranis inclusæ in ipsum botuli in modum delapsæ sunt, & cunei partes gerunt ; indè utero (fundus cujus eò validior evasit, quò debilius orificium), majori circumferentiæ parte, infantulum pulsante, dimidiâ horâ proles longiùs incedere debet, quàm antè intrà duas horas. *Dilatationis progressus.*

(2) Sic, cæteris paribus, longius tempus, pluresque dolores requiruntur ad orificium juxtà nummi argentei minoris circumferentiam dilatandum, quàm requirantur ut ab hoc dilatationis gradu, ad illum gallicè *couronnement* dictum. Tùnc demique dolores validissimi deprehenduntur, nec non signa desinentis laboris, de quibus infrà agemus ; tunc vi contractionum dilacerantur membranæ, si nondùm ruptæ fuerint.

LXVI. (1). Quidam de positione capitis fœtûs suprà aperturam superiorem, per ejusdem intrà inferiorem aperturam situm dijudicantes, indistinctè asseruerunt optimum esse illum situm, quo facies directè retrorsùm posita est. Affirmare nos è contrà non dubitamus positionem hanc suprà aperturam superiorem, nedùm optima sit, maximè noxiam esse ; sed admodùm raro accidit, ut infrà dicendis patebit. Illud fortè eos in errorem induxit, quod caput reapsè vulvæ occurrit, facie retrorsùm versâ, in plurimis & faustissimis casibus ; minimè autem indè probatur hoc in pelvis parvæ excavationem in hunc modum descendisse. *Capitis positio suprà aperturam superiorem.*

(2) Projectura enim rotunda, quam præſtat junctura columnæ vertebralis cum oſſe ſacro non ſolùm minuit, ut ſuprà dictum eſt, diametrum anteriorem ſuperioris aperturæ, ſed etiam caput infantuli circulatum quoque excipiendo, in hoc vel illud latus repellit juxtà uteri obliquitatem. Hocque expérientiâ confirmatur, ſi enim digitus caput aſſequatur, ſitus ejus in hunc modum, plerumque deprehenditur. Hinc caput diametrum obliquam attingens faciliùs in parvæ pelvis excavationem labitur.

DE PROGRESSU CAPITIS.

Caput in excavatione ejuſque exitus.

LXVII. (1). Corona capitis juxtà inferiorem partem iſchiorum pellitur, frons versùs partem ſuperiorem ejuſdem oſſis jacet, & per quartam inverſionis partem facies in concavitatem oſſis ſacri pellitur, dùm vertex, occiputque infrà ſymphyſim pubis aguntur, dilatando continuò & ſenſim orificium externum. Furcilla, perinæum, ſedes, parteſque cunctæ quæ intrà illam & os ſacrum interjacent, exteriùs tùm diſtenduntur in modum largi tumoris, retrorsùm coccyx repellitur, & intereà corona capitis, ſeu regio, ubi ſutura lambdoïdea trajicit extremam ſuturæ ſagittalis partem, continuò labitur, magis ac magis dilatando orificium.

[2] Cùm caput attigit punctum quo ſcilicèt pars colli poſterior pubis arcum ſubit, frons pellit coccygem, ſedem & perinæum retrorsùm & deorsùm; tùnc poſterior capitis pars ſeſe pubi ſubducit, & ſimùl per quartam inverſionis partem, frons pariter ſe à partibus extricat quibus nitebatur. — Hâc quartâ inverſionis parte ad dextrum ſiniſtrumve femur prægnantis, parùm tamen obliquè inversâ facie, maxima humerorum diameter neceſſariò ad obliquam pelvis diametrum reſpondet, quam diximus maximam eſſe in pelvi carne non denudatâ. Porrò dùm caput prædictum pergit iter, ſeſeque à vulvâ extricat, humeri in obliquum ſiti facilè in pelvis parvæ cavitatem deſcendunt. Humeri in pelvim parvam lapſi confeſtim ſeſe produnt, cæteræque mox partes eduntur.

DE SECUNDINARUM EXPULSIONE.

Expulſionis ſecundinarum mechaniſmus.

LXVIII. [1] Statim ut infantulus in lucem prodiit, collum uteri & orificium quæ multò minùs diſtenta & breviori tempore paſſiva cæteris partibus remansêre, corpori & fundo ſuperiora mox evadunt, celeriùs ſcilicèt vires recuperant, primaque coarctantur. Notandum tamen hîc illorum contractionem [in pleriſque ſaltem caſibus] non ad hunc evehi gradum, quem quidam obſtetricantes adſtruunt.

(2) Longius, breviuſve poſt tempus, corpus funduſque uteri, rursùm collum orificiumque ſuperant ad ſecundinas expellendas, quæ plùs, minùſve celeriter ſine ſenſu evelluntur novis contractionibus uterinis

rinis quas excitant; placenta penitùs deglutinata versùs orificium pellitur, quod facilè cedit, indèque in vaginam. Cùm placenta & attinentia ex utero prodiêre, fundus, corpus & orificium vires coadunant, simulque provocant liquorum, qui parietes ipsorum ingurgitant, effluxum.

LXIX. A majori, minorive liquorum resistentiâ, plùs minùsve acuti oriuntur dolores, tormina uterina dicti. Intereà contractiones in cuncta uteri puncta agentes in his casibus penitùs orificium occludunt; undè fit ut nihil perseverante dolore prodeat — Si liquores vasibus uteri inhærentes facilè cedant contractioni ipsas exprimenti, nullo laborat dolore puerpera, faustèque liberata dici potest. Sed si corpus extraneum post placentæ extractionem in utero remaneat, novus exoritur labor, exiguus tamen, qui perseverat donec corpus extraneum penitùs expulsum sit. — Illæ sunt partûs causæ, illa agendi ratio earum, illa via, quâ proles in lucem editur.

PARS SECUNDA.

DE AUXILIIS ERGA PARTURIENTES, RELATIVE AD VARIAS PARTUS SPECIES.

PARTUUM DIVISIO.

LXX. PARTUS de quo hucusque generatìm diximus, cùm vario absolvatur modo, varié etiàm diversum juxtà exitum consideratur. — *Hippocrates* & ferè omnes qui post parentem hunc Medicinæ ad usque decimum-quintum sæculum scripsêre, duplex partuum genus statuêre, *naturalium* nempè, si infantuli caput aut clunes occurrant. — Aliorum *contra-naturalium*, si quælibet alia corporis pars sese objiciat. Etiamsi veteres tertiam partuum speciem expressè non agnoverint, ex eorum tamen praxi eruitur, ab ipsis distingui casus qui opem chirurgicam exposcant. — Recentiores obstetricantes qui scripsêre, varium quique partuum ordinem statuêre juxtà modum, quo partum circumspectabant. Hoc tamen discrimen non ultrà quasdam distinctiones & subdivisiones progreditur, quas aliquot epithetis insigniêre, ut partus *naturalis*, *facilis*, *difficilis*, *operosus*, *contra-naturalis.* Divisiones Auctorum.

LXXI. Cùm divisiones ex sese satis arbitrariæ sint, tantùmque ad levandam memoriam inserviant, quilibet Scriptor, ut jàm diximus, eas Divisionum propositum.

ideis suis accommodatas parit. D *Solayrès* cel. hujus Universitatis Doctor, privatusque artis obstetriciæ professor Parisiis, methodum dividendorum partuum tradidit. Cujus ope omnes casus quicumque facilè menti occurrerent. Botanicorum Igitur methodum jàm ad morbos à D. *de Sauvages* traductam, ad partum transtulit. Licèt præsumptâ opinione aut libidine insimulandus sim, utpotè Alumnus familiarisque D. *Solayrès*, Non possum tamen quin afferam illius solam mihi inter Authorum divisiones caput efferre videri, ut canit Latinorum Poëtarum Princeps.

Quantum lenta solent, inter viburna cupressi.

Cùm igitur hanc tenere decreverim, eam paucis exponam.

Divisio Solayreana.

LXXII. (1). In hâc methodo præcipuæ divisiones ordinantur ratione cujusdam characteris, quem ex causâ efficiente inducunt partus. Ut verò nullus est qui absolvi nequeat Primò, aut solis parturientis viribus. Secundò, aut obstetricantis manu cum vel absque maternis viribus. Tertiò, aut solùm obstetricantis manu sed etiam instrumento, & quidem præsentibus vel absentibus prægnantis viribus; ideò in tres classes spontè dividendi veniunt partus pro absolutionis varietate.

(2) Prima partus omnes comprehendet quibus character communis inerit absolvi solis parturientis viribus. — Secunda, partus qui cum vel absque parturientis viribus manum obstetricantis exposcent. — Tertia, partus qui manum obstetricantis instrumento armatam, præsentibus vel absentibus parturientis viribus, desiderabunt.

CLASSIS PRIMA.

Partus solis maternis viribus naturales juxtà plurimos; faciles juxtà nonnullos.

LXXIII. (1). Partus hujusce classis in duos ordines dividuntur, ratione temporis quo labor perseverat. Prior partus omnes comprehendit absolutos intrà spatium viginti quatuor horarum. Hi propriè dicti naturales partus sunt D. *de la Motte*. Posterior verò complectitur partus, quorum longius in tempus perducitur absolutio. Hi contra-naturales partus sunt D. *de la Motte*, difficiles quorumdam, operosi D. *Dionis*. — Uterque ordo qui, sepositâ temporis ratione, in praxi unus & idem est, quatuor genera comprehendit, pro regionibus quibus infans uteri orificio advertit, cùm propriis viribus mulier sese exonerat.

(2) In primo genere superius ovatum occurrentis capitis ponitur.
In secundo, pedes.
In tertio, genua.
In quarto, clunes.

(3) Diligens licèt obstetricans naturæ postrema partuum genera permittere non debeat; cùm tamen non solùm possibile sit, sed etiam con-

tigerit, ut matres propriis viribus infantulos enixæ ſint partes has protendentes, idcircò iſti claſſi adſcribendi partus hujuſmodi viſi ſunt, ut autem plerumque manum obſtetricantis deſiderant, de iis in ſecundâ claſſe diſſeremus, etiamque in tertiâ cùm, non ſufficiente manu, inſtrumenta requirunt.

LXXIV. [1] Genera in ſpecies diſtribuuntur quæ ratione ſitûs peculiaris regionis, quam orificio advertit infans, ſtatuuntur. Hi ſitus ad ſex reducuntur quoad primum genus : quoad cætera ad quatuor, quibuſcumque aliis ſitubus ad prædictos redeuntibus.

[2] Varietatum nomine donantur multiplices acerbi caſus qui ſpecies interdùm complicant, ut morbi tàm chronici quàm acuti, quibus mater, vel infans, aut aliquoties uterque laborat; hæmorrhagiæ, motus convulſivi, funiculi, & brachii fœtûs præſentia, &c.

(3) Primum genus de quo hic duntaxat agetur (cùm tria poſteriora ad ſecundam claſſem remittamus) his dignoſcitur characteribus, tumore ſcilicèt duro & craſſo, lineis & ſpatio plus, minùſve extenſis, minùſque cæterâ ſuperficie duris, diſtincto. Sicùt reſpectivæ ſex poſitiones, quas ovatum capitis ſuperius ſortiri poteſt ad ſuperiorem aperturam pertingens, non idoneæ pariter ſunt, ut partus ſolis maternis viribus abſolvatur; neceſſe eſt ut diligens obſtetricans eas maturè percipiat, ne vanâ ſpe illudatur, & etiam ut eo quo in ſecundâ claſſe dicemus, modo minùs idoneis ſuccurrere poſſit. — Præter hujus characteres generis, quælibet ſpecies propriis gaudet quibus dignoſcitur cùm uteri orificium ſatis patulum eſt, ſatis tenues membranæ, aut potiùs etiam ruptis membranis & aquis effluxis. Primum genus.

LXXV. (1) In prima ſpecie occiput ſitum eſt ad ſymphyſim pubis, protuberantiæ frontis ad ſuperiorem oſſis ſacri partem, ſuturaque ſagittalis ſecundùm directionem diametri anterioris aperturæ ſuperioris. Infrequentiſſimus eſt talis ſitus, nec in uno ex centum partubus occurrit. Pendet illud à convexitate vertebralis columnæ, cui convexum pariter caput immorari nequit, & in aliud deflectitur latus. Prima ſpecies.

[2] Secunda ſpecies primæ inverſa eſt & non minùs raró contingit, tùm prædictâ ratione, tùm quòd ſæpiſſimè facies infantuli anterior poſticè advertat. In utroque ſitu, præſertìm in ſecundo omnium peſſimo, propriis ſolis viribus ſeſe exonerare non poteſt mulier, niſi valdè amplâ fruatur pelvi aut infantuli ſit caput tenuiſſimum : ſicuti autem poſſibile eſt occurrere alterutram conditionem, hanc in primâ claſſe poni poſſe exiſtimatum eſt. Species illæ de quibus, ut de quartâ, quintâ & ſextâ, interdùm que de tertiâ, in ſecundâ, tertiâ etiam claſſe agetur, cùm ad abſolvendum partum manus non ſufficiet. Secunda ſpecies.

LXXVI. (1). In tertiâ ſpecie ſutura ſagittalis directionem ſequitur diametri obliquæ aperturæ ſuperioris, occipite ſeu fontanellâ poſteriori ſuperiorique versùs cavitatem cotiloïdeam lævam poſitis, & fontanellâ Tertia ſpecies.

anteriori superiorique simùl & protuberantiis frontalibus versùs juncturam ossis sacri cum osse innominato ad dextram constitutis; situs hic frequentissimus omniumque aptissimus; ex centum enim partubus nonagies occurrit. Ut in hâc positione per quartam inversionis partem, de quâ suprà diximus, facies retrorsùm in pelvis excavatione obvertitur; plurimi obstetricantes existimaverant caput sic versum per aperturam superiorem delabi. Hanc positionem à primâ non secernebant, quæ non minùs rara est quàm hæc communis. De hâc specie diximus, ubi de progressu capitis infantuli in partu solito (LXVII) non ergò iterùm de hâc differemus.

Quarta species. (2) Quarta species tertiæ inversa minùs idonea & admodùm raro contingit; primum fit ex eo quòd intestinum rectum ad dextram positum impediat capitis æquè facilem quartam inversionis partem, quæ requiritur ut facies in ossis sacri cavitatem incedat, aut etiàm quòd si caput vertatur, faciem in altum urgere possit, eamque in secundam positionem pellere. Secundum oritur ex eo quòd obliquitas fundi uteri ad lævam, quâ positio hæc determinatur, admodùm rara sit.

Quinta species. LXXVII. (1) In quintâ specie, sutura sagittalis sequitur directionem obliquæ diametri superioris aperturæ. Fontanella posterior superiorque versùs cavitatem cotiloïdeam dextram constituitur, protuberantiis frontalibus juxtà juncturam ossis sacri cum ileo sinistro positis. Raro hæc advenit, ex centum enim partubus v. g. decem in hâc positione occurrunt. Facies multò difficiliùs à dextrâ ad lævam, quàm à lævâ ad dextram in tertiâ vertitur. Id etiam oritur ex recto ipsius progressum morante & ipsam in quartâ retinente; nisi per quartam inversionis partem ad posituram secundam deveniat, quod quidèm à charybde in scyllam.

Sexta species. (2) Sexta quintæ inversa multùm rara & noxia est; minùs tamen quàm ambæ superiores, cùm rectum in hoc casu obstare non possit, quominùs facies ad concavitatem sacri accedat; sed ut valdè vicina est arcui pubis, metuendum est ne hunc subeat & sese ad secundam conferat positionem, tùnc enìm perineum scinditur.

DE PERAGENDIS IN PARTU SOLIS VIRIBUS MATERNIS ABSOLUTO.

Primò facienda. LXXVIII. (1) Etiàmsi hîc mater propriis viribus se exoneret, obstetricantis tamen opera supervacanea non est censenda. Quarè accersitus ut opem prægnanti ferat, ubi quæsierit utrùm mulier jàm enixa sit, an primâ vice paritura; perpendere debet an verus, spuriusve sit labor; utrùm mox sese exoneratura sit: an verò labor diù perseveraturus, quod ex signis jàm relatis (LI. LII. LIII.) dignoscet. Tactu etiàm de infantuli situ disquiret, ut judicet utrùm partus solis maternis viribus absolvi possit;

possit ; quod indè inferet si primum genus & præcipuè tertiam positionem (LXXVI.) deprehendat.

(2) Quamcumque autem prognosim statuat, nihil infaustum parturienti pronuntiet, sententiam tamen parentibus & iis, quorum interest, denudet, quidquid optimum se acturum promittat : nunquàm verò aliquid de eventu spondeat.

(3) Si labor verus, urgensque appareat, obstetricans tùm sibi, tùm parturienti, tùm puero per laborem necessaria parari diligenter curabit, aquam v. g., vinum, acetum, aliquid unctuosum, aut fortem quamdam seminis mucilaginosi decoctionem, linteorum siccorum calidorumque sufficientem copiam, quæcumque tandem ad funiculi scissionem & ligaturam prærequirenda sunt.

LXXIX. Invigilabit etiàm obstetricans sine morâ sterni lectulum prægnanti mulieri, obstetricanti & ministrantibus commodum; pro variis regionibus diversimodè lectuli illi parantur. — Quidam Angli obstetricantes in naturalibus facilibusque partubus lectulos præcipiunt ità componi ut horizontaliter suprà latus incubet prægnans, tergo ipsis obverso. — Germani & Batavi plurimùm jactant commendantque sellam quamdam à *Deventer* (a) & *Heister* (b) descriptam. — In quibusdam locis mulieres sedi semicirculari imponuntur : alibi suprà alteriûs feminæ genua collocantur. Illìc pulvinari subjecto genibus inniti jubentur. In Galliâ plerumque sternitur lectulus ità ut suprà planum inclinatum parturiens jaceat, lumbos, dorsum, humeros, caputque gradatìm altiora habeat clunibus & partibus inferioribus. — Postremus hic modus optimus mihi quidem videtur non autem omnibus æquè congruit casibus. Ratio itaque habenda est circumstantiarum sive ad lectuli, sive ad sitûs prægnantis ordinationem.

Lectuli parturi[...]

LXXX. (1) Si tactu obstetricans orificium uteri directè centro inferioris pelvis respondens deprehendat, manuque exteriùs hujus visceris fundum rectum, aut vix ad dextram inclinatum sentiat, lectum ità sterni præcipiet, ut mulier suprà planum inclinatum incubet, quia tùnc pelvis multùm ad horizontalem situm accedit, infantulique pondus orificio uteri magis incumbit, quòd etiàm in hoc situ musculares vires intensiùs agant.

Notæ de modo sternendi lectuli.

(2) Si verò orificium valdè posteriùs sit, uterique fundus admodùm obliquus anticè, sic lectulum extrui jubebit, ut dorso horizontaliter posita jaceat, & uteri fundus ad lineam rectam admoveatur.

(3) In utroque casu uti licebit communi thoro vel grabato lecto subtento loris, cui superimponetur culcita farta gossipii lanugine aut lanâ, ad munditiem majori minorive linteorum copiâ cooperta, sed præfer-

(a) *Operat. Chirur. novum lumen exhibentium obstetricantibus cap. XXVI.*
(b) *Instit. Chirur. pars II. sect. V. cap. CLIII. tab. XXXIII. fig.* 14. &

tìm inceratâ telâ aut saltem oleo inunctâ, quâ parte prægnantis sedes innitetur. In priori casu præterea curabitur ut pars culcitæ superior fulcimentis sublevetur, sellis v g. inversis, pulvinaribus insuper capiti prægnantis suppositis.

Cautelæ dieteticæ.

LXXXI. (1) Intereà parturiens attentam obstetricantis opem exposcit. Nedùm ineunte labore peculiaris ei situs injungatur, ne quidem in cubiculo eam manere præcipietur, sed quantùm aliundè prudentia feret, ab alio in aliud ambulandi licentia dabitur. D. *White (a)* obstetricans Anglus meritò jubet ut, perseverante labore, mulier liberrimam auram ducat, ostium fenestræque pandantur æstivo tempore, sat diligentem curam nunquam adhibendam esse putat, ut cubiculi purior servetur aër, præcaveaturque ne mimio calore prematur parturiens. Idem ne terreamur monet, si laboris initio occurrat diarrhæa, nisi mulier nimis debilitetur & frigescat: tùnc enim præscribenda levia cardiaca.

(2) Oportet prægnans utprimùm dolores experitur, vestium cingula laxet, à solidioribus cibis abstineat, cænæ etiàm tempore; aquosis verò potionibus sitim restinguere poterit, sivè aquâ solâ, sivè cum speciebus pectoralibus coctâ, aut etiàm jusculis tenuioribus; quædam tamen roborantia debilibus præstari poterunt.

(3) Advigilabit etiàm obstetricans ne parturientem plures circumstent parentes aut amici, quàm res requirant: imprimisque amoveri curabit injucundos mulieri, si quos advertat.

Cautelæ ad munditiem simùl & facilitatem partûs

LXXXII. (1) Prudenter prægnanti datur clysma diluens, ne noceat excrementorum exitus, cùm caput erumpens rectum comprimit. Si fortè mulier constipata sit aut ferveat, emolliens leviterque etiàm purgans impertietur clysma ut evacuentur duræ materiæ, si quas intestinum includit, quæ capitis exitui officere possent, aut quæ vi compulsæ ani sphincterem læderent. D. *Roederer* qui comprobat præcipitque hujus hujusmodi enemata, valdè ea improbat quæ ad veros dolores excitandos impertiuntur. Ex illis enim pravos potiùs quam salubres oriri effectus putat.

(2) Oportet etiàm ut mulier urinas emittat, ne caput intrà pelvim vesicæ collum premens, illud coerceat. Quòd si suppressione urinæ jàm laboret parturiens, catheteris ope, vel pressâ leniter pube, urina est expellenda. Tumor etiàm vesicæ partum retardat.

(3) Idem cum optimis obstetricantibus venæ-sectionem imperat plethoricis mulieribus, præsertìm quæ difficiliorem spiritum ducunt: primiparis quoque admodum necessariam existimat. Affirmat *Mauriceau* multoties à se ad varios casus in partu præcavendos fuisse adhibitam

---

(a) *In opere cui titulus, avis aux femmes enceintes & en couches, ex anglicâ lingua in gallicam traducto.*

ad accelerandum etiàm partum sæpiùs idonea est phlebotomia.

LXXXIII. (1) Etsi non probemus cibos solidos, vina, liquoresque extra modum quæ suadent aliquando obstetrices ut prægnantes sumant, si protrahatur labor; censemus tamen recens ovum parturienti porrigi posse, decoctum è jurulentis carnibus, interdùm quædam optimi vini cochlearia, aut ofellam vino imbutam. Cavendum autem ut his parcè admodum utatur. Peragenda in longiori labore.

(2) Si mulier sit fessa, sivè dolore pressa, lecto sese tradat: ipsi injungendum est ut suprà latus cubet diversum ab eo in quod obliquè incidit uterus; indè enim producitur labor, cùm capite alterutri ilium ossium, aut sacro, aut pubi innitente, uteri conatus inanes sunt.

(3) Si autem laboris perseverantia oriretur à rigiditate partium, à quâcumque causâ producta sit, iteranda esset venæ-sectio, quam ineunte labore commendavimus, ut partium tonus laxetur. — Quidam commendant etiàm fomenta, fumigationes emollientes, tepidas, nonnullique semi-cupia. Posteriora autem auxilia dilatationi mihi potiùs adversa, quàm faventia videntur; cùm enim sola genitalia, vicinasque partes calefaciant, indèq; augeant humorum rarefactionem vasorum igitur capacitatem protendunt; hincque minuitur interjacens spatium, proindeque potiùs astringunt quàm relaxant. — Itaque satiùs esse existimo, si mulieri integrum balneum ex aquâ tepidâ, vel ex emollientium decocto paratum administretur; indè enim orietur universi toni remissio, partusque acceleratio. In balneo prægnantem attentè spectabit obstetricans, diligenterque balnei effectum perpendet, ut ex eo tempestivè illam retrahat, ne in eo parturiat.

LXXXIV. (1) Cùm parturitii laboris perseverantia ab uteri contractionum defectu pendeat, quidam remediorum uterinorum usum suadent. *Si vires deficiunt, hæ excitandæ sunt ope uterinorum, cardiacorum, sternutatoriorum*, inquit cel. *Boerrhaave*; ill. vero commentator *Vanswieten* (a) meritò notat *hìc summâ Medicum opus habere prudentiâ, ne noceat imprudenti cardiacorum exhibitione.* Defectus dolorum.

(2) Si autem his uti parturiens nolit, obstetricans immisso in vaginam, contrà alterutrum è ligamentis sacro-ischiaticis, digito, illud comprimet, dolorem ciebit, quo ad contrahendos musculos, conatusque que edendos impelletur mulier. Hi enim nixus munia contractionum explebunt, aut si adsint, eas augebunt, juvabuntque ad expellendum corpus in utero inclusum. Hujusmodi pressiones suum tutò sortientur effectum, multòque magis expediunt quàm titillationes orificio uteri ob idem factas, quæ semper inutiles, interdùmque noxiæ sunt. Idem dicendum de dilatationibus per vim, quæ præparatoriæ nuncupantur,

---

(a) *Aph.* 1312. *partus difficilis tom. IV. pag.* 1311.

& quas obstetrices diù antè operantur, ambos utriûsque manûs digitos in vulvam inferentes, alios juxtà superiorem commissuram, alios ad inferiorem, in omnem denique sensum, vaginæ dilatandæ causâ, perducentes. Hæc omnia parturientem inutiliter fatigant; posterioraque imprimis nocent, non solùm genitalia irritando, sed etiàm humores auferendo quos natura ministrat ad favendam dilatationi & fœtûs exitui. — Tactus sæpiùs repetitus eisdem subjacet incommodis. Nec verùm muccum his partibus adjacentem supplere possunt unctuosa, mucilaginosaque in hoc casu adhibita, tùncque tantùm iis uti licet, cùm post longum laborem de partium siccitate constat.

Situs peculiaris prægnantis in lecto ad partum strato.

LXXXV. (1) Cùm ex statu orificii vicinus judicetur partus, in lecto collocanda est parturiens, modò ad obliquum uterum respectivè saltem usque ad tempus quo proditurum est caput; illo quippè instanti dorso incumbere debet. Ut coccyx, perinæumque retrorsùm pellenda sunt & præthereà obstetricanti operandi agendique libertas esse debet; D. de la *Motte* præcipit ut quâ parte sita est sedes, deprimatur culcita, fossæque species quædam efformetur, ut ad orificium uteri facilè appellat obstetricantis manus, nihilque perinæi retrocessioni & infantuli egressui obstet; idem præstari potest si culcita ad usque lecti fulcra non pertingat; tùnc enim jubebitur parturiens ut coxis & lumbis tantùm ad calcitæ extremitatem insideat, ità ut coccyx perinæumque lecto nullatenus incumbant.

(2) Ut accrescant contractionum muscularium vires, quæ uterinas juvare debent, fulmenta quædam parturienti ministrare expedit, si lectulo utatur, ambæ columnæ, aut ambo pedes ad id munus inservire poterunt: si autem latior sit lectus, asser transversus poni potest quem ad lecti fulcra, aut si lectus loris subtentus sit, ad clavum ligneum huic infixum alligari curabit obstetricans. Quorum defectu duo astantes alterutro genu submissis parturientis femora divaricata tenebunt, pedem mulieris immotum suprà genu earum continentes, dùm ambo alii fulmentum utrinquè mulieri præbebunt.

Quæ facienda lectulo impositâ parturiente.

LXXXVI (1) Dùm parturiens suprà dorsum jacet, extremis solido quodam suffultis, hortetur eam obstetricans ut doloribus utatur, eosque juvet, musculos abdominales contrahendo, validè inspirando, conatusque edendo quasi alvum exonerare vellet; ut magis atque magis uteri orificium dilatetur, rumpanturque membranæ, si nondùm dilaceratæ fuerint; si verò orificio satis dilatato vi contractionum, membranæ interdùm densissimæ non dilacerentur, id præstari potest, ungue, instante dolore, adhibito, si unguis non sufficeret, adhiberi posset tenuissimus *Æreolus*, aut tandem vernaculo triangulari transfigerentur.

(2) Istud tamen tentari non debet, nisi priùs orificium ad nummi majoris argentei circumferentiam dilatatum fuerit.

(3) Curandum est ne in parturientis aurem susurrent astantes. Nihil enim

enim adeò parturientem moleſtat; ſemper quippè credit de ſe loqui; mortiſque ſententiam ferri, præſertìm ſi jàm dudùm laboret.

(4) Cavendum quoque ne quid etiàm valde ſubmiſsâ voce dicatur, quod non ei notum eſſe velint; mirâ enim auris ſubtilitate gaudet.

LXXXVII. (1) Quamvis ad ſecundam claſſem caſus omnes retulerimus in quibus utilis aut neceſſaria eſt obſtetricantis manus; excipiendam tamen eſſe cenſemus de quâ nùnc agitur ſpeciem. Aliquoties enim quibuſdam impedimentis parvi momenti ſubjacet, ſi initio ſtatìm eis ſuccuratur. Cùm v. g. fundum uteri ad ſiniſtram inclinatùm (quod raro accidit) ſitus parturientis lateri dextro incumbentis non ſatis ad lineam rectam reduxit, tùnc obſtetricans, alterâ manu exteriùs abdomini oppoſitâ, leniter uteri fundum à lævâ ad dextram pellere debet, amboBuſque alteriûs manûs digitis in vaginam immiſſis, os tincæ vel orificium ad dextram tùnc deflexum, ad aperturæ ſuperioris centrum adducere. Secùs cùm caput in parvam pelvim progreditur, cujus major diameter ferè cum minori aperturæ inferioris diametro parallela eſſet, quod capitis liberæ eruptioni officeret, niſi aut tenuiſſimum caput, aut ampliſſima pelvis eſſet.

(2) Cùm autem capite in pelvis parvæ excavationem delapſo, obſtat coccyx, docet *Deventer* (a), retrorsùm dejiciendum eſſe non ſolùm uno aut altero digito, ſed manu ipsâ intrà coccygem & caput inductâ, palmâ hunc ſenſim premente, dùm inſtant dolores. Si caput craſſius eſſet, aut nimis progreſſum quàm ut facultas agendi manui ſuppeteret, parùm pellatur ſuadet, ut faciliùs reflecti poſſit coccyx, indeque inferioris aperturæ anterior diameter augeatur.

LXXXVIII. (1) Cùm occiput ſubit arcum pubis, fronſque perinæo impoſita retrorsùm illud pellit, tùnc fortaſſe unctio partium externarum earum extenſioni promovendæ inſerviet: ut autem parietalibus protuberantiis iſchiorum tuberoſitates ſemel perlapſis caput ſæpè celeriùs occurrit, metuendum eſt ne furcillæ contigat dilaceratio, aut etiàm perinæi ad uſque anum; quod ut caveatur manum inferet obſtetricans in commiſſuram inferiorem perinæumque, quod juxtà gradum vis contractionum uterinarum premet & hoc maximè parturientem levabit.

Cùm occiput arcum pubis ſubit.

(2) Monent ſcriptores ne miremur, ſi prægnantes animi deliquia aut vomitus experiantur, id tribuentes ſympathiæ quæ inter uterum eſt & ſtomachum, mediante intercoſtali nervo ramis ſexti & quinti quandòque nervorum cerebri paris conſtante; nec attendendum inquiunt, ad trepidationem univerſam, quam ſine frigoris ſenſu, patitur mulier. Neque mirùm etiam ſi crampo & torpedine adſtringantur femora, cruraque, id enim oritur à preſſione capitis in nervos & vaſa quæ in

---

(a) *In opere jàm citat. pars I. cap. XXVII.*

partes inferiores distribuuntur. Hæc accidentia tanquam signa absolutionis partûs potiùs habenda quàm infausta symptomata, modò saltem graviora non sint.

Quandò & quo modo arripiendum caput.

LXXXIX. (1) Nedùm caput fœtûs, statìm atque occurrit, extrahat, arripereque festinet obstetricans; satiùs naturæ absolvendus relinquatur partus, cùm caput inter parietalia hæret; expedit enim sæpè ut non adeò celeriter egrediatur, quia uterinæ contractiones, quæ ad illud expellendum tendunt, placentæ simùl deglutinationem promovent faciliùs deinde emergentis. Partûs absolutio festinanda est dùmtaxat, cùm gravia subeunt accidentia, aut majori, minorive sanguinis effluxione obstetricans inducitur ad putandum placentam omnem vel ferè omnem fuisse deglutinatam.

(2) Quidquid sit, cùm ferè omninò emersum est caput, arripitur, si tempus suppetit, ambos manûs alteriûs digitos maxillaribus ossibus ex utroque nasi latere apponendo, ambosque alteriûs in furcillæ modum parti posteriori cervicis, aversâ manu monti veneris innixâ. Sic caput in altum pellitur donec totum eductum fuerit, occurrantque humeri, qui, si opus sit, extrahuntur, manûs palmâ ad infantuli dorsum admotâ, alterâque suprà pectus positâ donec satis accesserint, ut alterutrum brachium extricetur, si res requirant, & tempora sinant. Prodeuntibus humeris, reliquum corpus mox consequitur & sæpissimè eodem instanti exit. Infantulus in lucem editus tranversè intrà matris femora, dorso vulvam advertente, sternitur, ne ex utero effluentia aliquid ipsi incommodi afferant.

DE SECUNDINIS

ARTICULUS PRIMUS

DE LIGATURA ET SECTIONE FUNICULI UMBILICALIS.

XC. (1) Quoniam admodum variant scriptorum sententiæ circà tempus &modum secandi funiculi, hujusque ligandi necessitatem, non in ullius jurabimus verba magistri, sed quidquid nobis in singulis arridebit scriptis delibabimus, ad circumstantias tamen, experientiamque attendentes. Prætermissâ quæstione physiologicâ de causâ primam inspirationem determinante, hanc tanquam causam agnoscimus mutationis quæ contingit in fœtûs orti circulatione, quæ & matri & infantulo anteà communis, ipsi propria post inspirationem & expirationem evadit.

(2) Experientiâ nititur hæc assertio, fœtus vidi debilissimos in lucem post longum operosumque laborem editos, quorum præciso funiculo, magna sanguinis copia effluebat, donec ligatura fieret, denuòque istâ laxatâ erumpebat sanguis usque ad infantuli inspirationem

& expirationem. Vidi contrà infantulos validâ constitutione præditos, qui in lucem prodeuntes inspiraverant & expiraverant, quorum secto funiculo, quantuscumque esset pueri motus, sanguis non effluebat præter aliquot guttulas intrà sectionem & umbilicum demorantes. In talibus pueris sæpiùs, me teste, dilata fuit ligatura & semel eam ipse distuli ad momentum, quo fasciis involvendus erat puer, tùnc enim eâ maximè opus est, propter pressionem pectoris per fascias, quâ impelli potest sanguis in viam adhùc patentem & è quâ novæ dùmtaxat circulationis defluxu divertitur.

XCI. (1) Juxtà hæc principia, secandi funiculi tempus variis circumstantiis accomodandum esse existimamus, ligaturamque naturâ non imperari, & è quibusdam dùmtaxat peculiaribus accidentibus, modoque nostro curandorum infantulorum necessariam evadere. Tempus secandi funiculi ex circunstantiis variat.

(2) Ut autem enucleatiùs pateat nostra sententia, tres pueros supponamus, unum debili constitutione præditum, multa inter aperturarum angustias passum & ferè exanimem; alterum communi corporis habitudine pariter ferè exanimen, & prætereà veluti præfocatum, nec-non magnâ sanguinis copiâ ingurgitatum lividumque, &c. Tertium firmâ constitutione pollentem, liberè inspirantem & expirantem; si solito sese gerat modo obstetricans erga tres illos infantulos, si scilicèt funiculi ligaturam & sectionem acceleret, ambo priores probabiliter extinguentur, alter per inanitionem & debilitatem, quibus inspiratio & respiratio impedientur: alter verò per suffocationem & apoplexiam, cùm sanguinis copia, quâ ultrà modum vasa & viscera pulmonem circumdantia dilatantur, obex sit ut ad inspirandum exteriorem aërem explicari possit. Ex præfato autem agendi modo in tertio casu nihil infantulus patietur incommodi, sed fortè puerpera, quæ aliquotiès expeditas curas desiderat quibus officerent curæ tùnc erga fœtum impensæ.

XCII. (1) Quid igitur tùnc agendum? In primo casu cùm nobis constet circulationem fœtui propriam non fieri, nisi cum dilatati pulmones fuerint; si adhùc utero adhæreat placenta, non secabitur funiculus nisi restituta circulatio fuerit, eam etiàm perseverare sinemus aliquandiù à matre in infantulum ut ejus vires recreentur. — Si placenta deglutinata fuerit, juxtà saniorum mentem, aliquandiù saltem, nativum matris calorem supplere niteremur, placentam in aquâ eodem ferè gradu calidâ mergendo; putamus etiàm illam sic in aquâ premendo, contentum sanguinem partìm ad fœtum refluere.

(2) Quoad secundum casum, funiculum secare quidem festinabimus, sed ejus ligaturâ abstinebimus, tùnc cùm puer nondùm respiraverit, sanguis ex vasis umbilicalibus effluet: quòd si huic exterior aër obstaret, funiculum refrigerando, ejus effluxus accelerari poterit, pectore fœtûs lateraliter presso, sanguinisque copia sufficiens educetur ut ingurgitatio & plethora minuantur, pulmonumque motus promoveatur. —

Præter hanc opem, in utroque casu adhibenda sunt auxilia quæ optimi obstetricantes ad restituendum fœtum suadent v. g. D. *Deventer*, præcipit ut pedis planta scopulâ ex equinâ jubâ fricetur, cæpa pista ad nasum admoveatur, vultui vinum, acetumve injiciatur: rectè puto pennæ barbis levem naribus & æsophago titillationem procreari posse.

(3) In tertio funiculum quidem secabimus statim ac infantulus in lucem prodibit; in illo autem casu valdè necessariam ligaturam non arbitrantes, si non sinant curæ, quas mater expostulat, eam illicò operari, absque metu illam ad tempus remittemus quo puer fasciis involvendus veniet.

XCIII. (1) Tribus his exemplis periculosum fore videtur ociùs fœtum debilem, refrigeratum, & ferè exanimen à matre sejungere, præsertìm si pressum funiculum aut fricatum secare festinaret obstetricans, antequam restituta fuisset circulatio, & adhibitis cæteris auxiliis, calor vitalis in eo restauratus fuisset. Non fiet funiculi sectio, nisi vitæ argumenta quædam præstiterit infans, eritque tùnc utilis & necessaria ligatura & quidem sine morâ.

(2) Cùm verò puer ferè exanimatus, calidus tamen, lividus & sanguine ingurgitatus apparet, celeriùs fieri non posset funiculi sectio, sed tùnc accelerata ligatura magis noxia esset, quàm in superiori casu utilis & necessaria. Certâ igitur sanguinis quantitate effluxâ externisque auxiliis recreato infantulo, tùnc dùmtaxat fiet ligatura.

(3) In tertio tandem casu juxtà obstetricantis & obstetricatæ opportunitatem fieri posse videtur funiculi ligatura & sectio.

XCIV. (1). Non multùm inter se Scriptores de funiculi ligandi modo dissentiunt. Nonnulli ligaturam fieri commendant ad ejus insertionem, ut, inquiunt, præcaveantur umbilicales herniæ, aliamque ad duos à priori pollices suprà sectionem, ut uteri hæmorrhagiæ prohibeantur. Judicia hæc inania sunt, periculosaque praxis videtur; quia si funiculus tenuis & tener sit, ligaturâ facilè scindi, aut disjungi celeriùs ab umbilico potest. Undè oritur non hernia qnidem, sed hæmorrhagia, cui nonnisi difficilè, & nequaquàm infantulum premendo, succurrere potest obstetricans.

(2) Alii priorem ligaturam fieri jubent ad duos ab umbilico digitos, ut si filo sejungatur funiculus, superiùs ligari possit. Ex simili proposito, trium aut quatuor pollicum spatium relinquendum esse arbitramur, ceratoque filo octuplicato ligandum. Ad cautionem fiet altera ligatura laxa & restringenda, si opus esset v. g. si nempè compresso thorace sanguis priorem transmearet; ne reprehensioni detur locus, altera fieri poterit ligatura ad duos à superiori pollices, funiculusque ambas inter secari.

(3) Tùnc mulieribus committitur infans, ut opem matri ferat obstetricans. Observandum tamen, cùm hæ detersum puerum fasciis involvere satagunt, curam adhibendam esse ut duplicato funiculo ligatoque

iterùm

iterùm imponatur splenium è lino tenuissimo axungiâ recenti uncto. Præscribitur quoque ut saltem aliquot diebus moderatissimè constringatur infantulus.

ARTICULUS II.

DE SECUNDINARUM EXTRACTIONE.

XCV. (1) Cùm non exit placenta eodem ferè instanti quo puer; aut saltèm immediatè post, quidam jubent, ut sine morâ extrahatur, ne orificium uteri recludatur, nec ultrà facilè prodire queat; sunt qui ne tempus quidem ligandi, secandique funiculi tribuere volunt.

(2) Nonnulli recentiores & attentiores inanem hunc metum firmioribus confutârunt argumentis quàm ut huic immoremur; hi tamen inter se differunt ratione temporis, quod impertiuntur. Alii quædam quietis momenta puerperæ concedunt, ut ex laboribus, quos passa est, reficiatur; alii denique agnoscentes fieri adhùc posse, horâ unâ & ampliùs ab edito infantulo elapsâ, ut manus in orificium immittatur, eo partim tempore expectandam esse censent naturalem expulsionem, dummodò res aliter non postulent, & hæc ultima sententia sanior videtur.

(3) Arbitramur tamen, nisi pars horæ sufficiat, integrâ horâ & ultrà expectandum esse: monuit enim *Hipp.* [a] *si secundinæ non facilè excedant*, maximè cautè esse extrahendas; *Id autem*, inquit, *sensim non vi faciendum: ne præter naturam extractæ inflammationem excitent.* Quamobrem vias solertissimas suppeditat.

[4] Levi manûs pressione, variisque titillationibus in mulieris abdomen ad irritandum uterum actis, sine periculo ejus contractio accelerabitur, indèque placentæ deglutinatio, quòd si limbus alteruter adhùc puncto decliviori uteri adhæreret, quibusdam digitis in orificium immissis, cum curâ divelleretur. Juxtà denique optimorum Magistrorum mentem, antè sensibilem uteri contractionem minimè tentabitur secundinarum extractio.

XCVI. Extrahi ergò sine periculo poterit placenta cùm, ut docet D. *Levret* (b), constabit illam ad cedendum paratam esse; tùnc secundùm vulgarem agendi modum, semel aut iterùm duobus manûs lævæ digitis circumdabitur, aut ne elabatur, sicco linteamento apprehendetur, sensimque extrahetur ab alto deorsùm & à dextrâ ad sinistram ut penitùs deglutinetur leviter circumacta. Ut verò faciliùs & tutiùs arripiatur, manus dextra unctuosis delinita in vaginam immittatur, Quando & quomodo extrahenda est placenta.

(a) *Hipp. lib. de superfetatione, cap 3. art. med. princip.*
(b) *L'art des Accouchements, pag. 138. §. 776.*

extensisque digitis, quàm altissimè fas erit, funiculus apprehendatur premente indice, dùm exteriori manu extrahetur. Ubì orificio occurrit placenta si penitùs deglutinata, & mediâ parte obveniens; si nimis crassa quàm ut transeat, illius situs avertetur; divaricatis secùs digitis, coni apicem, cui inseritur funiculus, apprehendemus, trahemusque placentam suprà ipsammet invertentes, ut membranæ simùl extricentur. Dùm liberatur puerpera expediret ut manu aliquis ejus ventrem premeret, uteri simùl contrahendi gratiâ.

Funiculi ruptura. XCVII. (1). Aliquotiès adeò tenuis est funiculus, ut quantacumque sit cautela rumpatur, priusquàm prodierit & penitùs aut etiam partim deglutinata fuerit placenta, In primo casu satis erit, si ambo advehantur digiti, forcipis instar, quibus funiculi insertionem aut alterutrum placentæ limbum attingat obstetricans, eamque deinceps prædicto modo exteriùs quàm celerrimè trahat.

(2) In secundo casu extrahenda placenta ut comprimatur hæmorrhagia, quæ puerperæ mortem mox inferre potest; duobus aut tribus digitis prudenter in uterum immissis, unguium sedulò recisâ acie, perfici deglutinatio poterit, cùm pars non deglutinata orificio proximè adhærebit: si autem aut corpori aut fundo uteri cohæreat, sensim uncta manus, digitis in conum agglomeratis, introduci debet; si pars funiculi quædam supersit, eâ duce, ad insertionem itur; secùs internâ uteri superficie molliter peragratâ, invenietur placenta, quæ penitùs deglutinabitur manu intrà uteri parietes ipsamque immissâ, apprehensâ; si nimis crassa sit quàm ut in omnem sensum extrà orificium trahi possit, manu submissâ, inferiorique arrepto limbo extrahetur, observando ut quàm integerrima prodeat.

[3] In tertio casu, id est cùm placenta penitùs adhæret, mulierque nihil aut ferè nihil sanguinis amittit; nedùm acceleretur, protrahenda erit extractio donec saltem satis multa & valida tormina passa fuerit puerpera, ut incepta deglutinatio judicetur, tùncque modo in postremo casu proposito se geret obstetricans. Si placenta dextro uteri lateri adhæreat, læva manus impendetur, si lævo, dextra.

XCVIII. [1]. Si aliquantò post ruptum funiculum accerseretur obstetricans, orificiumque parùm intereà occlusum fuisset, statìm unus introduceretur digitus, ambo deinceps, deindè tres, &c. ut gradatìm dilatetur, minorque mulieri pariatur dolor. Quoquo autem modo eam exoneret obstetricans, observandum tamen manum rectè semper abdomini illius imponendam esse. Quin etiam expediret ut altera femina ambabus manibus illud continuò premeret ad cohibendum uterum qui in hoc casu hìnc & indè intrà remissos abdominis parietes circumferretur; quod operationi officere posset.

(2) Si quantacumque adhibeatur cura ut integra deglutinetur placenta, levis tamen illius pars in utero remaneat; derelinquendam esse

docet *Mauriceau* [*a*] si extrahi non possit, nisi laceretur aut lædatur uteri substantia, ne occurrat sanguinis fluxus copiosus, inflammatio, aut gangræna, undè mors sequeretur.

(3) Si nulla in parte deglutinata placenta fuerit; manuique resistat, suadet idem ut opus naturæ committatur. Meritò interna remedia in hoc casu ministrata improbat [*b*], ut purgantia, diuretica, aliaque admodùm calefacientia, quæ febrim ægrotanti ingenerant, eam ad maximos conatus sæpè inutiles ciendos inducunt; sanguinis fluxum procreare, aut augere possunt, alvi profluvium, inflammationes, aut prolapsus uteri afferre.

(4) In casu quo ab uteri inflammatione oritur difficultas extractionis placentæ, naturam adjuvandam commonet (*c*) emollientibus injectionibus, aut etiam modico sanguine emisso, inflammationis sedandæ causâ: sed loco enematis acris, quod suadet (*d*), quàm maximè lenitivum componendum censemus.

XCIX. (1). Post exoneratam mulierem, partibus genitalibus exterioribus admovendum est siccum molleque linteamentum; alia verò iis quæ jàm sedi ejus subjecerat, substitui curabit; dorso incubabit mulier, cruribus extensis & cohærentibus. Si tantisper debilis sit, modicum jusculum præ calefacienti potione ministrabitur. Cùm vires recuperaverit, immutabuntur linteamenta partibus imposita, denuòque etiàm sedi subterponentur, si facta fuerit evacuatio. Gerenda mos post partum.

(2) Si in asphyxiam incidat ægrotans, nec commoveri debet ad immutanda lintea, nec ad sternendum lectum, nec ad alia quævis, donec animus ipsi aptis auxiliis restitutus fuerit. Suadet clar. *Smellie*, ut ejusmodi asphyxiæ præcaveantur, cùm promptiùs enixa est mulier, imperando ut aliquis ex astantibus, manibus suis abdomen illius premat, donec idonea fascia quàm maximè simplex adhibita fuerit; sic censet *Mauriceau*, optimique cum illo obstetricantes. Valida compressio, primâ potissimum die, nedùm votis annuat obstetricium, mulieri valdè molesta est.

[3] His gestis, subuculâ recenti induetur, cæterasque pariter vestes mutabit; alteri deindè imponetur lecto ad munditiem pluribus linteis operto, aut unico duplicato, si facultates desint; vel si nullus alius sit lectus, sternetur denuò hic qui partui inserviit. Suadet D. *White*, ne plus cooperiatur ægra, quàm si optima frueretur valetudine. Censeo attamen expedire ut ipsi per vestes in lecto liceat sese insedendo at-

(*a*) *Traité des maladies des Femmes grosses & accouchées, liv. 2. chap. 9. pag. 253.*
(*b*) *Ibidem. pag. 258.*
(*c*) *Ibidem. pag. 254.*
(*d*) *In opere jam citato.*

tollere ſine gravedinis periculo. Sic compoſitâ muliere, curandum ut quiete, tàm animi quàm corporis, perfectiſſimâ potiatur.

SECUNDA CLASSIS

De partubus manum obſtetricantis deſiderantibus, ſivè adſint vires maternæ, ſivè abſint. Contrà naturales à quibuſdam ſcriptoribus, operoſi à nonnullis, difficiles à Maningham, Roderer, Aſtruc, Smellie, *nuncupantur.*

C. [1] In quatuor ordines partus hujus claſſis dividuntur, ratione quadruplicis faciei corporis infantuli. Variæ autem regiones cujuſlibet faciei occurrentes, genera conſtituunt.

PRIMUS ORDO.

[2] Anterior infantuli facies quæ hunc ordinem ſtatuit, orificio juxtà ſingula puncta occurrere poteſt; ſex inſigniora, quibus duæ extremitates adduntur, octo dant genera.

In 1°. occurrit extremitas inferior ſeù pedes; quod genus licet abſolutè priori claſſi adſcribere potuerimus, potiſſimùm tamen ad hanc referendum cenſuimus, ut tutiùs abſolvatur partus. Primum conſtituitur hoc genus, quia opera in illo adhibenda in plurimis aliis iteranda venit.

In 2°. Superior extremitas ſeù ovatum ſuperius capitis; quoties ſolis maternis viribus partus abſolvi nequit, in hâc claſſe ponitur.

3°. Anterius ovatum capitis ſeù facies.

4°. Pars anterior colli.

5° . . . . . Pectoris anterior.

6°. . . . . . Abdominis.

7°. . . . . . Pelvis ſeù partes genitales.

8°. Genu aut ambo genua, quibus licèt occurrentibus, plerumque partus ſolis maternis viribus abſolvitur; aliquandò tamen obſtetricantis manu indiget.

SECUNDUS ORDO.

[3] Hìc ordo complectitur partus omnes in quibus infantulus poſterioris faciei punctum quodlibet obvertit. Hæc quinque regiones præbet quæ in totidem genera diſtinguuntur.

1°. Occiput.

2°. Poſteriorem faciem colli.

3°. Dorſum.

4°. Lumbos.

5°. Clunes, qui licèt in priori claſſe aliquoties occurrant, rectiùs tamen in hâc collocantur.

TERTIUS ORDO.

4°. Huic ordini aſſignantur ſinguli caſus, in quibus aliquod lateralis dextræ faciei punctum occurrit. In eâ quinque regiones, totidemque genera conſtituuntur, ſcilicet.

1°. Ovatum laterale dextrum capitis.
2°. Facies lateralis dextra colli.
3°. Humerus dexter, aut brachium.
4°. Pars pectoris abdominiſve lateralis.
5°. Coxa dextra, aut femur dextrum.

QUARTUS ORDO.

[1] In iſto ordine includuntur partus, in qu bus infantulus ad orificium obvertit aliquod faciei lateralis ſiniſtræ ipunctum. Dividitur ut ſuperior, & inverſus eſt in praxi.

[1] Statuuntur ſpecies ratione peculiaris, relativique ſitûs cujuslibet regionis Ad quatuor reduci poſſunt in quocumque genere; licèt in priori claſſe primum genus ſeù ovatum ſuperius ſex ſpecies complectatur, idque ſic ſtatuitur, quià in praxi tertia & ſexta ſpecies eamdem operam circà infantuli à pedibus extractionem expetunt; eò quod etiàm quarta quintaque juxtà praxim ſpectatæ ad unicam referri poſſunt, cùm circà utramque eodem ſeſe gerat modo obſtetricans.

[7] Eædem ſunt varietates in hâc claſſe atque in priori, quibus complicantur ſpecies.

CI. [1] Ad duo hæc reduci poteſt adhibenda in hâc claſſe opera; ad pravum nempè mutandum infantuli ſitum, ità ut partus ſolis maternis viribus abſolvi poſſit; aut ad fœtum, ſi manus immittatur, extrahendum.

[2] Cùm non æquè omnibus caſibus congruant prædiτæ abſolutionis viæ; priori adſcribemus, cùm tempeſtivè accerſiti, antè defeſſam mulierem, antè aut ſaltem non multò poſt aquarum effluxionem, caput infantuli accedens, aut facilè ſaltem & ſine periculo referibile inveniemus ad 3am. poſitionem 1mi. gen. 1mi. ord. 1mæ. claſſis (§. LXXVI. n°. 1.). ſi verò arduum & longius iter ad caput eſſet, aut licèt ſit parùm diſtans & etiam rectè ſitum ſi vires ad abſolvendum partum matri deſint, aut jamdudùm effluxerint aquæ; ſi craſſius caput, aut arctior ſit pelvis; (undè à 1ma. claſſe partûs licèt fauſto ſitu gauderet caput, ad 2dam. transfertur.) Si denique partui quædam ex prædictis varietati-

bus (§. LXXIV. n°. 2.) adjungantur; à pedibus extrahendus est puer.

[3] Positis his generalibus regulis; ad priorem absolutionis viam cunctas secundæ hujus classis species non reducemus, sed tantùm ad optimum situm magis referibiles. Quoad posteriorem verò, quascumque species possibiles assignabimus.

PRIMA ABSOLUTIONIS VIA,

Seù capitis in meliorem situm reductio.

PRIMUS ORDO.

Secundum genus. Ovatum superius capitis suprà superiorem pelvis aperturam.

CII. [1] Quod ad priorem absolutionis viam spectat, id est quoad mutationem pravi sitûs in meliorem; primum genus, pedes scilicèt, nequaquàm juxtà statutam (§. CI. n°. 2.) regulam reducere tentabimus. Caput supponamus in secundo genere primi ordinis hujus classis, id est superius ovatum obvertens statìm in primâ positione, quæ eadem est ac prima primi generis primæ classis, cujus characteres protulimus (§. LXXV. n°. 1.), & quam inter noxias computavimus.

Prima species. Facie retrorsum.

[2] In hoc casu satis erit, si unus aut ambo digiti in orificium intromittantur, ut caput infantuli ad obliquam directionem adducant, frontales protuberantias repellentes, easque in latus dextrum columnæ vertebralis dejicientes; aut si per orificii dilatationem liceat, indice, medio, polliceque dextræ apprehendatur caput, ejusque directio mutetur.

Secunda species facie antrorsum.

[3] Secunda species præcedentis inversa, partuique maximè officiens, non solùm priores ambos digitos & pollicem expostulat, sed interdùm etiàm manum ipsam, ut vertatur frons juxtà juncturam sacri & ilii dextri, occiputque versùs cavitatem cotiloïdeam lævam reducatur. Idque etiam ægrè, aliquandò nullatenùs præstari potest, cùm jàm pridem effluxerunt aquæ; caput flexo tantùm collo vertitur, corpore aliàs in eodem situ remanente.

Tertia species. facie dextrorsum.

De tertiâ dicendi non est hìc locus; cùm enim dextrorsum vertitur facies, parumque retrorsum inclinatur, hæc positio eadem est ac tertia primi generis primæ classis (§. LXXXVI. n°. 1.) ac proinde optima: si autem solis viribus maternis partus tùnc non absolvatur, hoc inde fit quòd caput crassius sit, aut superior apertura arctior, aut matris exhaustum robur, aut hæmorrhagia, convulsio occurrerit; quod partum accelerandum suadet, extrahendumque infantulum; de quo infrà, ubi de secundâ absolutionis viâ differetur.

[5] Si autem ex eo tantùm oriatur impedimentum, quòd futura sagittalis sortiatur directionem diametri transversæ, cùm directionem obliquæ tenere debeat; aut si caput sit in sextâ positione primi generis

primæ classis, scilicet si fontanella anterior, superiorque cùm juncturam sacri iliique dextri advertere debeat, versùs cavitatem cotiloïdeam dextram sita sit: fontanella verò anterior & superior juncturam sacri iliique lævi advertat, cùm juxtà cavitatem cotiloïdeam sinistram adjacere debeat; facilè succurretur, protuberantias frontales retrorsum flectendo, aut duobus, tribusve digitis, polliceque caput apprehendendo, illudque leviter sublevando, movendoque à sinistro mulieris latere ad dextrum, & sic illud per octavam inversionis partem ad tertiam positionem reducendo.

(6.) Quarta species, quæ quartam simul & quintam primi generis primæ classis complectitur, utpotè cum tertiâ & sextâ ejusdem classis rationem inversam servantes, solâ differunt majori, minorive distantiâ à à tertiâ quam *tertiam obliquam*, ut à cæteris distinguatur, dicemus, & ad quam cæteras referemus. — Quarta species Facie sinistrorsum.

(7.) Si apprehensum caput retrorsum invertatur, brevius illi iter peragendum erit, fontanellâ anteriori superiorique juncturam sacri iliique lævi advertente, quàm si versùs cavitatem cotiloïdeam sinistram adjaceat. Oppositum fiet si antrorsum invertatur. Difficillimus est uterque agendi modus, ne impossibilis, effluxis aquis, dicatur.

CIII. (1) Iterùm igitur licebit capitis in meliorem situm reductionem tentare, cùm in alterâ quatuor specierum tertii generis primi ordinis illud occurrit, sivè cùm super aperturam superiorem, faciem advertet, infantulus: in cæteris hujusce ordinis generibus, capitis difficilior est reductio ad tertiam speciem quam, ut à cæteris distinguatur, *obliquam aut idoneam positionem* nuncupabimus. Hujus generis characteres sunt os, nasus, oculi, sutura coronalis, mentumque. — Tertium genus facies supra aperturam superiorem occurrens.

(2) In primâ hujus generis specie frons pubi matris innititur, mentumque parti superiori ossis sacri: in hoc casu facies anterior corporis infantuli hæret columnæ vertebrali. Metuendum est ne sic situm caput penitùs intrà aperturam se impediat, quòd obliqua capitis diameter trium longissima tendat ad parallelam diametri rectæ seu anterioris aperturæ superioris; quæ trium diameter ejusdem aperturæ minima est. — Prima species corpore retrorsum.

(3) Si tempestivè accersitus fuerit obstetricans, huic facilè medebitur, duos digitos ossibus maxillaribus, juxtà utrumque nasi latus, inferendo, hancque capitis infantuli partem sublevando, & sursum retrorsumque repellendo; undè frons primùm dejicitur; tunc imponentur ambo digiti suprà malas, pergendoque partem superiorem capitis deprimere, frontem adibunt digiti, profereturque vertex, ut in primâ positione secundi generis (§. CII. n°. 1); Pollex tùnc adhibebitur, caput que ad tertiam positionem obliquam penitùs vertetur, quo prædictum est modo.

CII. (4). Maximè juvabitur hæc inversio, si mulier sese componat ad situm quo corpus infantuli antrorsum inferri possit, v. g. si divari-

catis cruribus ſtet corpore plùs, minùſve antrorſum deflexo, manibuſque alicui ſolido innixis: tùnc fœtus volvitur in caput, quod eſt centrum motûs, & quodlibet capitis punctum tot circuli, cujus diameter eſſet diameter recta pelvis, gradus decurrit, quot extremitas radii, ſeù partes inferiores arcûs quem efformat abdomen.

Secunda ſpecies corpore antrorſum.

(5) Secunda ſpecies prioris inverſa eſt, operamque penitùs inverſam poſcit, donec ad 2dam. 2di. gen. poſitionem adductum fuerit caput, id eſt, donec vertex ſuprà aperturam ſuperiorem ſtet, facie antrorſum versâ, tùncque ut ſuprà (§. CII. n°. 3). ubi de hâc ſecundâ poſitione, ſeſe geret obſtetricans.

Tertia ſpecies corpore dextrorſum.

(6) In tertiâ ſpecie hujus generis, protuberantiæ frontales margini pelvis ſiniſtro nituntur, mentumque dextro. Cùm occurrit hæc poſitio, uterus ad dextrum valdè obliquus eſſe debet; idcircò ſuprà lævum latus jacebit mulier; manu obſtetricans exteriùs fundum uteri repellet, infantulique ſimùl truncum à dextrâ ad ſiniſtram; dùm intereà duobus digitis introductis aguntur protuberantiæ frontales à lævo ad dextrum, quoad uſque inceſſerit caput ad 3am. poſitionem 2di. generis hujus claſſis (§. CII. 4.), quam tranſverſam nuncupamus, ut diſtinguatur à 3â. 1mi. gen. 1mæ. claſſis, quam obliquam diximus; donec ſcilicèt vertice ſuprà aperturam ſuperiorem ſtante, frons advertat ſpatium quod eſt inter juncturam ſacri cum oſſibus iliis, juxtà latus dextrum, cavitatemque cotiloïdeam in eodem latere.

(7) Tùnc per octavam inverſionis partem, caput duobus digitis pol liceque apprehenſum, facilè ab hâc tertiâ poſitione tranſversâ in tertiam (§. LXXVI. n°. 1) mutatur.

Quarta ſpecies corpore ſiniſtrorſum.

[8] Quarta hujus generis poſitio tertiæ inverſa eſt, inversâque eget operâ, donec ad 4am poſitionem 2di. gen. hujuſce claſſis (§. CII. n°. 6.) pervenerit caput; donec ſcilicèt vertex ſtet ſuprà aperturam ſuperiorem, fronte ſiniſtrorsùm, & occipite dextrorsùm poſito: tùnc per dimidiam inverſionis partem, caput prædicto modo apprehenſum ad poſitionem obliquam reducitur, in quâ occiput cavitatem cotiloïdeam lævam reſpicit, fronſque juncturam ſacri cum ileo dextro. Quatuor hujus generis poſitiones rariſſimæ; ambæ autem poſteriores minùs rarò contingunt.

(9) De aliis primi iſtius ordinis generibus tantùm dicemus, ubi de operâ circà infantuli per pedes extractionem.

Ad cæterorum igitur trium ordinum genera & ſpecies devenimus, quæ facilè ad tertiam poſitionem primi generis primæ claſſis, obliquam ſcilicèt, reduci poſſunt.

SECUNDUS ORDO.

CIV. (1) In ſecundo ordine, ſeù cùm faciem poſteriorem obvertit infantulus; ſi ſit in primo genere, id eſt, ſi occiput obvertatur, ſatis facilis

facilis erit reductio. Hujus generis characteres sunt fontanella superior & posterior, sutura lambdoïdea, fontanellæ posteriores inferioresque, pars posterior superiorque colli.

(2) In primâ positione pars inferior superioris ovati juxtà matris pubim sita est, sicut & fontanella posterior, & pars posterior superiorque colli juxtà sacrum. Ad hoc adhibenda est opera, ut caput primùm ad 2dam. positionem 2di. gen. 1mi. ordinis hujusce classis (§. CII. n°. 3.) reducatur; quod præstabitur, muliere plùs minùsve antrorsum inclinatâ, duobusque digitis sursum antrorsumque pulso occipite, donec superius ovatum suprà aperturam jaceat; accedente tùnc pollice, apprehenditur caput, parùm sublevatur, deindeque prædicto modo invertitur, donec positionem nostram obliquam, 3tiam. scilicet 1mi. gen. 1mæ. classis (§. LXXVI. n°. 5.) fuerit adeptum. *Prima species corpore retrorsum.*

(3) Secunda species præcedentis inversa ad 1mam. positionem 2di. gen. 1mi. ord. hujusce classis (§. CII. n°. 3.) reducenda est. Operâ priori inversâ obtinetur hæc reductio per quam tertiam positionem obliquam, ut diximus, assequitur caput. *Secunda species, corpore antrorsum.*

(4) In tertiâ specie posterior fontanella ad lævum matris latus, parsque posterior colli infantuli suprà pelvis marginem dextrum jacet. Quæ ut immutetur positio, mulier sinistro lateri superincumbere debet, duobusque intromissis in uterum digitis, repellendum collum, deindeque occiput ab infrà sursum & à sinistrâ ad dextram, ut 4tam. positionem 2di. gen. 1mi. ord. 2dæ. istius class. obtineat; tùncque opera impenditur (§. CII. n°. 6.) quam jàm suprà retulimus, quæ nimirùm ad tertiam nostram obliquam seù congruam positionem reduci debet. *Tertia species corpore dextrorsum.*

(5) Quarta tertiæ inversa, inversam operam exigit. Ad 3am. positionem 2di. gen. 1mi. ord. 2dæ. istius classis (§. CII. n°. 6.) reducendum est caput; tùncque per octavam inversionis partem ad idoneam positionem, seù tertiam obliquam adducitur. *Quarta species, Corpore sinistrorsum.*

CV. (1) Secundum genus secundi ordinis, seù pars colli posterior suprà aperturam superiorem occurrens, his dignoscitur characteribus, tumore duro in longitudinem patenti, in quo linea seù series exiguarum protuberantiarum, apophyses scilicèt vertebrarum cervicalium, deprehenduntur; hinc posterioribus inferioribusque fontanellis, illinc parte scapularum posteriori. Tentari etiàm poterit reductio positionum hujusce generis ad meliorem cùm, aquis recenter effluxis, uterus nondùm coarctatus fuerit. *Secundum genus. Infantulus partem colli posteriorem suprà apertur. super. objiciens.*

(2) In primâ specie fontanellæ posteriores inferioresque juxtà matris pubim sitæ sunt, sicut & occiput, parsque scapularum superior juxtà sacrum. — Secunda præcedentis inversa est. — In tertiâ inferiores & posteriores fontanellæ, occiputque ad lævum pelvis latus, scapulæque ad dextrum jacent. — Quarta tertiæ inversa est. *Species.*

Operæ reductionis.

(3) Quælibet harum positionum ad speciem præcedentis generis quæ numero ei correspondet, reduci debet. Deinde ad positiones 2di. gen. 1mi. ord. (§. CII.) & tandem ad positionem nostram obliquam dicto modo hæ quatuor species reducendæ.

ORDO TERTIUS.

CVI. (1) Cætera 2di. ordinis genera nimis ab idoneâ positione distant, quàm ut eorum tentetur reductio. Ad duos igitur posteriores ordines devenimus, & tertium aggredimur, in quo infantulus quodlibet punctum faciei lateralis dextræ obvertit. Hujus primum tantùm genus ad hanc absolutionis viam referemus.

Primum genus. Infantulus ovat. later. dext. obvertens.

(2) Cùm scilicet infantulus ovatum laterale dextrum capitis præbet; quod ex his dignoscitur characteribus, aure, fontanellâ posteriori & inferiori, suturæ lambdoïdeæ ramo, coronalis & squamosæ parte, angulo denique maxillæ inferioris.

Prima species. Corpore retrorsum.

(3) In primâ positione hujus generis, protuberantia frontalis dextra, item fontanella posterior & inferior dextra matris pubi innituntur, angulo dextro inferioris maxillæ juxtà sacrum verso, facieque ad lævum matris latus respiciente. Hujus positionis immutandæ causâ mulier, ut pluriès dictum fuit, antrorsum inclinata stat, dùm digitis duobus sursùm retrorsumque pellitur auris, ut suprà aperturam superiorem inducatur ovatum superius; caputque 4am. positionem 2di. gen. 1mi. ord. hujusce classis (§. CII. n°. 6.) consequatur; viâ deinde designatâ ad tertiam positionem obliquam traducatur.

Secunda species. Corpore antrorsum.

(4) Secunda species inversa præcedentis inversâ quoque operâ ad 3am. positionem 2di. gen. 1mi. ord. istius classis (§. CII. n°. 4.) reducitur; deindè facillimè, ut jàm diximus, ad tertiam positionem obliquam 1mi. gen. 1mæ. class. (§. LXXVI. n°. 1.) transfertur.

Tertia species. Corpore dextrorsum.

(5) In tertiâ specie protuberantia parietalis ad lævam, angulus maxillæ inferioris ad dextram, facie retrorsum, jacet. Tùnc expedit ut prægnans suprà latus lævum incubet, aurisque ab infrà sursum, simùlque à lævâ ad dextram impellatur, ad reducendum caput in 1am. positionem 2di. gen. 1mi. ord. 2dæ. class. (§. CII. n°. 1.), in quâ scilicet ovatum superius suprà aperturam superiorem jaceat; deindeque in obliquam positionem deflectatur.

Quarta species. Corpore sinistrorsum.

(6) Quarta species tertiæ inversa, operâ inversâ ad 2am. 2di. gen. 1mi. ord. hujusce class. (§. CII. n°. 3.) reducitur, ovatum scilicet superius, ut anteà, suprà aperturam superiorem inducitur; cùm hoc tamen discrimine, quòd facies antrorsum stet, majorque deinde requiratur inversio ad traducendum caput in idoneam positionem, seù tertiam obliquam 1mi. gen. 1mæ. class. (§. LXXVI. n°. 1.).

CVII. (1) Partem colli lateralem dextram ad extractionem à pedibus remittimus; nisi admodùm facilè digitis moveretur infans, admoverique posset auris, deinde ovatum superius suprà aperturam superiorem induci, caputque demùm ad idoneum situm transverti; quod adeò rarò contingit, ut hoc genus, cæteraque istius ordinis, in hâc absolutionis viâ, reponenda visa non fuerint.

Secundum genus. Infantulus partem colli later. dext. obvertens.

(2) Quartus ordo puncta omnia faciei lateralis sinistræ complectitur, tertioque inversus est. Quatuor igitur primi ejus generis species inversæ sunt quatuor 1mi. gen. præcedentis ordin. speciebus, operâque inversâ ad idoneam positionem reduci possunt.

DE SECUNDA ABSOLUTIONIS VIA,

Seù de extractione Infantuli à pedibus.

CVIII. (1). Antequàm de secundâ absolutionis viâ, seu de infantuli extractione à pedibus dicamus, non intempestivum erit quædam principia & generales quasdam regulas statuere, quibus in decursu operæ prudens obtemperare debet obstetricans.

(2) Primum principium versatur in eo quòd multò facilius sit componere diametros capitis infantuli ad parallelam diametrorum aperturæ superioris, cùm fœtus extrahitur à pedibus, quàm cùm caput ad idoneam positionem reducitur (*a*).

(3) Secundum est quòd, cæteris paribus & concordantibus hinc & indè diametris, magnum discrimen sit circà facilitatem quâ caput aperturam superiorem trajicit (*b*).

(*a*) *Quia pedum & corporis inspectu, positio capitis elucet, quia etiam magis apprehensioni favet.*

(*a*) *Caput v. g. crassum stans suprà aperturam superiorem, si contractiones uterinæ satis validæ non sint ad illud subitò expellendum, aut si apertura arctior sit quàm ut sinat ovatum superius ipsam subire, quantùm necesse est; caput, inquam, tunc corpore in quod contractiones agunt, pulsum & aliundè margine pelvis impeditum necessariò deprimitur, & ejus recta diameter minuitur, dùm transversalis & anterior in longitudinem patent, id est, pars collo respondens seu basis accedit ad verticem, & eâdem proportione, protuberantiæ frontales à se invicem recedunt: occiput pariter ab ossibus faciei removetur, capitisque latitudo recuperat quod latitudini subtrahitur, sicque crescit impedimentum. Contrarium evenit cùm infantulus à pedibus extrahitur, quià humeris alterutram è diametris obliquis superioris aperturæ emensis, caput superficiem minimam obvertit, mento, nochâ deindè inferiori occipitis parte facilè subeuntibut, excavationem pelvis parvæ, cujus*

(4) Tertium principium est, non tàm mortiferum esse, quàm diù arbitratum est, nùncque etiàm nonnulli existimant, infantulum à pedibus extrahi; etsi infantes plerique hoc modo extracti moribundi prodeant; id potiùs laboris pertinacitati, operæque seriùs adhibitæ tribuendum est, quàm operæ ipsi, quæ minùs certè noxia est, quàm difficilis periculosaque capitis remotioris ad idoneam positionem reductio, utero sicco, & partim coarctato.

(5) Quarto denique cùm dubium sit utrùm mulier solis propriis viribus, capite etiam ad idoneum situm adducto, sese exoneratura sit, consequens videtur infantulum pedibus extrahendum, quoties saltem ad immutandam positionem manus tota intromittenda est; cûm mulier tùnc passa sit quodcumque vel ferè quodcumque pati poterat, nec ampliùs sit passura, cùm illicò corpus, caputque fœtûs traducentur.

CIX. (1). Sunt autem quædam observandæ regulæ quoad istam partûs absolvendi viam, 1°. Puero sæpiùs antrorsùm flexo, hâcque flexione faciliori & naturæ magis consentaneâ, cùm ad inquirendum pedes manus immittitur, corpus antrorsum evolvendum est; ideòque subrependum juxtà faciem ejus anteriorem, quæ dignoscitur pedum perceptione, aut characteribus partis occurrentis.

(2). 2°. Manum adversam lateri, juxtà quod facies anterior fœtûs jacet, melius est adhiberi, v. g., si facies anterior ad dextram matris advertat, manu lævâ utendum; si ad sinistram, dextrâ: cùm autem aut infrà aut sursum respicit, manus utralibet indifferenter adhibetur.

(3) 3°. Cùm orificio occurrit caput unà cum funiculo umbilicali, manu alterutrâ aut utrâque, brachio, aut ambobus simùl; in quocumque situ versetur, repellendum erit; nec de funiculo, manibus, brachiis ullatenùs laborandum, quæ necessariò cum capite recedunt, cùm modo congruo ad inquirendos pedes sublevatur. Si pariter occurrant cum illis partibus pedes, extrahentur confidenter, nisi tamen funiculus femora infantuli trajiceret; tùnc enim quàm celerrimè fieri poterit, femur alterutrum solerter extricandum esset.

(4). 4°. Ordinariè & nisi res urgeant, manus in uterum introduci-

---

axi parallela est diameter recta capitis, dùm transversalis humerorum directionem, anteriorque alteriûs obliquæ diametri aperturæ directionem sequitur. In hoc casu si crassius sit caput, aut arctior apertura, protuberantiæ parietales equidem impediuntur, sed attractio ab exteriori proveniens, aut conatus uteri expulsivus in caput agentes, illud quasi ad viam conformant; protuberantiæ parietales igitur ad se invicem accedunt eò faciliùs, quòd mediante suturâ sagittali, parietalia super se ipsa transcendunt, & sic diameter transversalis minuitur; prætereaque recta protrahitur, si protuberantiæ parietales propiùs ad se accedant, quàm sinat spatium membraneum suturæ, quèd tunc vertex à cranii basi recedat.

nec

nec intrà illum agere debet, ingruente dolore. Motus quàm levissimi esse debent, digiti molliter recurvi, & infantuli corpori semper inhærentes, ne ungues parietes uteri lædant.

(5) 5°. Cùm pes prodit, alter inquiri potest, quanquàm ille non intropellatur: quòd si extremitas tota prolata esset, femur ad summum repelli posset, ut facilior manui aditus foret; sed nullatenùs necessarium est ut pes alter inquiratur; sed sivè prodierit matris viribus, sivè solus ab obstetricante adductus, sine periculo extrahi infantulus potest, si constet quàm altissimè illato digito, alterum aut flexum, aut facilè flectendum suprà faciem anteriorem: si autem jamdudùm prodiisset extremitas, & coarctatus uterus esset, periculosissimum quidem eum velle intrò repellere.

(6) 6°. Cùm Christiani partes gerere debeat obstetricans, ideò si periculum sit, ne fatum ipso in limine vitæ infantem, sicuti turbo nascentem rosam, abripiat; ipsum baptismali aquâ tingere properet, quamcumque partem præbeat.

Positis his generalibus regulis, ad operam in secundâ absolutionis viâ adhibendam devenimus.

PRIMUS ORDO.

Seù de infantulo alterutram extremitatem, aut quamlibet regionem faciei anterioris objiciente.

CX. (1). In genere, quod cæteris præponimus quia ad illorum intelligentiam conducit, infantulus pedes obvertit, quod à calcibus & digitis agnoscitur.

Primum genus. Extractio à pedibus infantuli pedes suprà aperturam superiorem præbentis.

(2) In primâ positione calces ponè symphisim pubis jacent, digitique juxtà sacrum; quod faciem retrorsùm designat.— Si ad viam, quam servat infantulus sic situs, solis maternis viribus ab utero prodiens, operam nostram conformare velimus, advertemus, cruribus parteque femorum exteriùs positis, coxas arcum pubis subeuntes obliquè cedere; hinc humeros parallelos esse alteri è diametris obliquis superioris aperturæ, per quam labuntur; & capite eidem viæ occurrente, ejus transversam diametrum parallelam diametro humerorum, obliquæ eidem diametro quàm humeri trajicientes secuti sunt, esse quoque parallelam, dùm ejus diameter anterior alteriùs obliquæ diametri superioris aperturæ sortitur directionem. Tùnc caput obliquè positum, facie juxtà juncturam sacri cum ileo jacente, facilè excavationem pelvis parvæ subit, in quâ facies retrorsum cedit, egrediturque tandem sivè utero expulsum, sivè corpore infantuli abreptum, interdùm cum laceratione commissuræ aut perinæi. — Cùm prodiens infantulus alterutram tantùm extremitatem præbet, omne in hoc vertitur discrimen, quod altera suprà abdomen flexa jaceat;

Prima species. facie anteriori infantuli retrorsum.

cùm autem clunes præbens exit, ambæ abdomini incubant: cùm verò genua, crura suprà posteriorem femorum partem hærent.

[3]. Ut sedulò naturæ viam teneamus, & incommoda interim occurrentia præcaveamus, ubi notus erit infantuli situs, tribus digitis unctis & sapienter inductis, pedes inquiremus. Si adhùc suprà aperturam superiorem jaceant, ambos ad vulvam adducemus & ni simùl, alterutrum seorsim; vel si jàmjàm eò pervenerint, utrâque manu eos apprehendemus linteo tenui & sicco, ne elabantur, adhibito: deindè manus super infantuli corpus, dùm extrahetur, insinuabimus; donec femora ità apprehendi possint, ut corpus obliquè à dextrâ ad sinistram inverti possit. Coxis sic obliquè positis, leviter manu utrâque rursùs extrahetur infans, exiguis motibus à dextrâ ad sinistram, ab infrà sursùm, & viceversâ circumactus. Cùm humeri, caputque obliquè in excavationem pelvis parvæ incesserint, rursùm; perseveranteque extractione, in positionem horisontalem componentur; Cum verò humeri arcum pubis habituri sunt, in obliquum iterùm invertentur, ità ut humerus dexter ligamento sacro-ischiatico juxtà lævum latus matris inhæreat, alterque propè ramum ischii jaceat; iterùm trahetur infantulus, donec brachia exteriùs ità pateant ut alterum extricetur; quod præstabitur corpore, manu semper illud sustinente, retrorsùm & obliquè lato juxtà ligamentum sacro-ischiaticum; tùncque indice & pollice à lateribus superiùs apprehendetur brachium, attraheturque donec cubitus antrorsum deorsumque invertatur à regione temporali in faciem, indèque in pectus, exteriùs prodiens depulsus. Dein corpore sursum attracto aliud facilè adveniet brachium, eodem modo extricatum. Ubi ambo brachia prodierint, facies versùs sacrum iterùm invertetur, & ut sine perinæi laceratione egrediatur, indicem mediumque dextræ manûs suprà maxillaria superiora, juxtà utrumque nasi latus, apponet obstetricans. Corpus infantuli super faciem internam brachii sui reponet, deindè ne commissura superior lædatur, manu aversâ monti veneris innitente, duobus digitis in furcillæ modum divaricatis, partem colli posteriorem circumplectetur, ambobusque manûs dextræ digitis sublevato & attracto capite, sic frontem à perinæo dimovebit. Ubi editus fuerit infans, eo quo in priori classe dictum est modo, ergà illum sese geret obstetricans.

Secunda species. Anteriori facie infantuli antrorsum

[4] In secundâ positione hujus generis prioris inversâ, tali juxtà sacrum, digitique juxtà pubim jacentes, faciem antrorsum versam indicant. Hæc omnium rarissima & minimè idonea est, eadem circà illam impenditur opera, ac circà priorem; præter quòd cùm crura, femoraque apprehendi possunt, eorum major fieri debet inversio, capitis obliquè componendi causâ, & ut facies versùs juncturam sacri & ilei dextri reducatur. Eodem deindè ac suprà pergatur modo.

Tertia species. facie anteriori dextrorsum.

[5] In tertiâ tali ad lævam, digitique ad dextram videntur; frequentissima & maximè idonea est, cùm per exiguam inversionem obliquè

& in optimam positionem adducatur caput.

[6] Quarta tertiæ inversa, non æquè idonea est: cùm enim jàmdudùm effluxæ sunt aquæ, non-nisi difficilè invertitur caput.

Quarta species. Facie sinistrorsum.

[7] Cùm igitur crassitudine corporis tenue caput dijudicatur, aut pelvis ampla videtur, satiùs facies sinistrorsùm relinquitur, & parùm obliquè duntaxat, simùl & retrorsum verti debet, potiusquàm tentetur ejus ad dexteram inversio; indè enim plurimùm & sæpè inaniter collum fatigaretur: plerùmque etiàm obstetricans caput inverti existimat, dùm corpus, distorto collo, solum rotat, præterquàm in hocce casu non debet tentari capitis inversio; eâdem operâ atque in superioribus speciebus adhibebitur, si in quâdam è præmissis positionibus altera manus, aut utraque, vel funiculus umbilicalis, orificio aut vulvæ occurreret; his despretis, attraherentur pedes, partes enim illæ necessariò tùnc regrederentur.

[8] Postquàm de hoc genere primi ordinis, seù de infantulo pedes præbente, simùl & de modo illum extrahendi disseruimus, ad illud cætera omnium ordinum nùnc reducturi sumus, ut circà hæc opera superiùs descripta adhiberi possit.

[9] Secundam absolutionis viam species omnes classis secundæ expostulant, eæ etiam, cùm reductio locum non habet, quas priori adscripsimus. Horum posteriorum non characteres omnes sed tantùm maximè insignes assignabimus, de iis fusè suprà, ubi de reductionis viâ, locuti.

CXI. [1] Cùm infantulus situm secundi generis sortitur, sivè ovatum superius suprà aperturam superiorem obvertit, cujus suprà (§. LXXIV. n°. 3.) attulimus characteres: si caput primam positionem obtineat, facies retrorsùm vertetur.

Secund. genus, extractio à pedibus infantuli ovatum superius super aperturam superiorem obvertentis.

[2] Primò digiti cautè in uterum immissi parùm caput repellunt, deindè inter sacrum & illud leniter irrepunt, itàut juxtà latus pelvis, posteriùs aversa stante manu, capitis vertex palmæ innitatur, deindeque repellatur in alterutram foveam iliacam; in dextram si manus dextra adhibeatur; si autem læva, in lævam. Mox occurrunt genua, quæ plerùmque propè caput jacent: digitis facies anterior crurum peragratur, donec perventum sit ad pedes, sæpiùs transversos; tùnc flexis, quàm minimè fieri poterit, digitis, anteà extensis, attrahitur statim pes superior, qui sternitur simùl cum crure suprà internam manum, deindè progrediendo alter pes apprehenditur, eodemque modo reducitur juxtà alterum; gradatìm posteà, demissâ manu, foràs extrahuntur: intereà, si opus sit, in uteri fundum palmâ repellendo caput.

Prima species. Facie retrorsum.

[3] Si, quod infrequentissimum est, infantulus non antrorsum, genibus suprà pectus recumbentibus, flexus sit, sed rectus aut ferè rectus, aut, quod pejus esset, suprà posteriorem partem flecteretur; anticè manus pariter immittenda esset, digitis pariter extensis, nec eorum extremitas

& ungues corpus prolis linquere deberent.

[4] Aliquandò contingit, aquis jamdudùm effluxis, ut uterus in seipsum regrediatur, &, ut ità dicam, ad corpus fœtûs, conformetur sese magis coarctans, quâ parte ad tenuioris infantuli regiones respondet. In hoc casu maximè arduo, sese gerat obstetricans circà quamlibet rugam uteri eodem modo atque ergà orificium, eas scilicèt gradatim dilatando; digitum statim, parùm comprimendo corpus infantuli, leniter immittens; duos deindè digitos, & sic de cæteris, donec manus introducta fuerit. Sæpè necesse est ut pluriès retrahatur, rursùmque immittatur manus propter torporem à validâ compressione uteri ortum.

[5] Cùm ad pedes perventum est, attrahuntur, eâdem semper adhibitâ curâ, ne nimis fatigetur uterus, undè molesta & prava sequerentur. Hâc viâ plùs minùsve facilè species illa ad 1am. reducitur 1mi. gen. positionem, infantuli scilicet præbentis pedes suprà aperturam superiorem, facie retrorsùm, tùncque eodem ac in prædictâ species (§. CX. n°. 3.) modo sese gerit obstetricans.

Secunda species. Facie entrorsum. [6] Secunda positio, cujus characteres assignavimus (§. LXXV. n°. 2.) à primâ tantùm differt in eo quòd facies antrorsum jaceat; indice, medioque parùm divaricatis, regioni occipitali stantibus, polliceque mediis protuberantiis frontalibus incumbente, apprehenditur caput & sublevatur usque ad foveas iliacas, in quarum dextram levi motu rotationis pugni aut metacarpi, vel digitorum, impellitur facies ab anteriori parte ad lævam, & occiput à posteriori ad dextram invertitur; deinceps sicut in præcedenti specie, capite reducto, pergitur.

Tertia species. Facie dextrorsum. [7] Tertia positio, cujus characteres jàm delineavimus (§. LXXVI. n°. 1.) prioribus magis idonea est ad extrahendos pedes; cùm, facie jàm lateraliter versâ, sufficit, si lævâ manu parùm sublatum caput sinistram in foveam iliacam pellatur, ut prædicto deindè peragatur modo, infantulum statim in quartam pedum positionem (§. CX. n°. 6.) adducendo.

Quarta species. Facie sinistrorsum. [8] Quarta præcedenti inversa multò magis favet, eò quòd dextra manus adhibeatur, & caput more solito sublatum in foveam iliacam dextram dejiciatur, infantulusque deinde in tertiam pedum positionem (§. CX. n°. 5.), optimam scilicet, ad absolvendam extractionem, reducatur.

Tertium Genus. Extractio infantuli faciem suprà aperturam superiorem obvertentis. CXII. [1] Cùm infantulus in tertio genere primi ordinis, cujus suprà (§ CIII. n°. 1.) attulimus characteres, versatur; cùm scilicet faciem suprà aperturam superiorem præbet, si sit in primâ positione, seù mentum retrorsum stet, & defectu conditionum requisitarum, pedes quærendi sint; mentum, collumque, partem deinde thoracis anteriorem repellentes, viam, intrà corpus & uteri posteriores parietes, ad pedes aperiemus: Dùm autem illi extrahentur palmâ repelletur caput in foveam iliacam dextram, si dextra adhibeatur manus; in lævam autem si

Prima species. mento retrorsum.

lævа

læva. Poteſt etiam ante pedum inquiſitionem repelli ; aut denique, quod facilius, niſi fibrarum rigiditas obſtet, opera ſuprà relata (§. CIII. nº. 3. 4.) inſumetur ad reducendam poſitionem hanc, ſtatim ad 1am., mox ad 4tam. 2di. gen. 1mi. ord. (§. CXI nº. 1. 8.) ; tùncque congruo modo ſeſe geret obſtetricans.

[2] Secunda poſitio priori inverſa, ſed pejor & difficilior : inquiri poſſunt anteriùs pedes, caput collumque paulatìm repellendo ; aut dùmtaxat leviter ſublatum, nec mutatâ directione, caput in foveam iliacam dextram dejicietur, ut ad pedes facilior ſit via ; poterit etiam per ſupràdictam operam (§. CIII. nº. 5.) reduci caput in 2am. poſitionem, deindeque in 4tam. 2di. gen. 1mi. ord. (§. CXI. nº. 6. 8.) ; tùncque ſicut in hâc ultimâ poſitione, extractio pedum abſolvetur. Secunda ſpecies. Mento antrorſum

(3) Tertia poſitio ſeù in quâ mentum dextrorſum jacet, quàm priores minùs noxia eſt. Parùm dùmtaxat caput, mentum præſertìm, collumque & pectus repellentes, manu lævâ inquirere pedes poſſumus : facilè etiam muliere ſuprà ſiniſtrum latus jacente, adhibitâque ſuperiùs, ubi de capitis reductione (§. CIII. nº. 6), deſcriptâ operâ, caput induci poteſt in 3tiam. ſpeciem 2di. gen. 1mi. ord. (§. CXI. nº. 7.) ; ſupereſt deinde ut tantùm in foveam iliacam lævam impellatur caput ad perficiendam poſteà extractionem, infantulum in 3tiam. pedum poſitionem (§. CXI. nº. 5.) primùm reducendo. Tertia ſpecies. Mento dextrorſum.

[4] Quarta tertiæ inverſa poſitio multò minùs noxia eſt, eò quòd manus dextra adhibeatur, caputque in foveam iliacam dextram impelli debeat : uſurpari etiam poteſt agendi modus ſuprà aſſignatus [§. CIII. nº. 8.] ubi de reductione capitis in 4am. 2di. generis poſitionem (§. CII. nº. 6. & CXI. nº. 8.) quæ eſt ad pedum extractionem aptiſſima ; tùnc ut ſuprà abſolvetur partus. Quarta ſpecies. Mento ſiniſtrorſum.

CXIII. [1]. Cùm in quarto genere primi iſtius ordinis occurrit infans, dùm ſcilicèt collum ſuprà apperturam ſuperiorem objicit, & primam poſitionem obtinet, ſeù capite antrorſum jacet, aquis recenter effluxis, facilè inquirentur pedes; multùm autem difficilè id præſtaretur, ſi jàmdudùm effluxiſſent aquæ ; idque tantò difficiliùs, quantò ampliùs coarctatus uterus eſſet : id etiàm oriri poſſet ex eo quòd cùm infantulus deberet anteriùs flecti, truncus ejus rectus aut retrorsum flexus eſſet. Quò magis pars anterior colli antrorſum projicitur, eò magis caput flectitur ſuprà humeros. Peſſima eſt hæc poſitio & periculoſa, niſi huîc ſtatim ſuccuaratur, collo parteque ſuperiore & anteriore thoracis ſurſum depulſis. Sic ſublatis partibus, via ad pedes præparatur, naturaliſque flexio collo & corpori reſtituitur ; undè opera congrua ad inquirendos extrahendoſque pedes ſuprà enarrata [§. CXI. nº. 2. & CXII. nº. 1.] facilis evadit. Quartum genus. Extractùs infantuli illum ſuprà apperturam ſuperiorem obvcitantis. Prima ſpecies. Capite antrorſum.

(2) Secunda poſitio priori inverſa multò magis noxia habetur ; prædicto modo reſtituenda eſt flexio colli ; expedit etiam maximè ut quan- Secunda ſpecies. Capite retrorſum.

tùm fieri poterit, caput in foveam iliacam impellatur, parùm etiam obliquè si fas sit, ut extractio ratione descriptâ (§. CXI. n°. 6. & CXII. n°. 2.) absolvatur.

Tertia species. Capite sinistrorsum.

(3) In tertiâ mentum ad sinistram jacet, caput in foveâ iliacâ juxtà idem latus constituitur, claviculæque & pars pectoris anterior versùs foveam iliacam dextram. Minùs periculosa est prioribus hæc positio; facilis etiàm, utero non penitùs coarctato. Sufficit infantulum anteriùs flecti; multùm etiàm expedit ut parturiens sinistro lateri incumbat, ut corpus infantuli dextrorsum inclinatum ad rectam lineam accedat, faciliùsque per spatium liceat lævâ pedes inquirere, partumque deinceps viâ solitâ [§. CX. n. 3. 5.] absolvere.

Quarta species. Capite dextrorsum.

(4) Quarta tertiæ inversa magis favet. Præter mutationem flexionis corporis, quæ eadem est ac in præcedenti, inversam operam postulat, donèc apprehensi pedes, præscriptâ ratione, manu dextrâ attrahantur.

Quintum gen. Extractio infantuli partem thoracis anteriorem suprà aperturam superiorem objicientis.

CXIV. (1) Quintum genus, seu pectus suprà aperturam superiorem decurrens, satis patulum tumorem præbet, in quo deprehenditur sternum duritie & asperitatibus conspicuum: annotantur prætereà cartilagines costarum verarum, parsque anterior ossea, sursùm denique claviculæ, deorsùmque margo cartilagineus spuriarum costarum.

Prima species. Capite antrorsum.

(2) In primâ positione claviculæ & pars sterni superior pubi matris innituntur, cartilagineusque margo spuriarum costarum suprà sacrum. Hæc positio sicùt & reliquæ hujus generis, tantò asperiores sunt, quantò diutiùs effluxæ sunt aquæ. Infantulus eò magis retrorsum flexus est, quò major pectoris prominentia. Femora, suprà quorum partem posteriorem crura, jacent, cùm ipsâ abdomini incumbere deberent, sæpiùs extensa sunt; parsque eorum anterior super uteri punctum incumbit ad vertebralem columnam respondens, indèque pedes amoventur.

(3) Effluxis tamen recenter aquis, manu dextrâ juxtà anteriorem fœtûs superficiem, quæ sensim sublevatur, satis altè perlatâ, ad genu pervenitur, quod deorsum, corpore gradatìm repulso, attrahitur. Manus quoque extensa juxtà lævum latus ingeri potest, corpusque ad dextram matris pelli, ut pedes suprà posteriorem partem femorum jacentes comprehendantur; deducuntur continuò ad lævam, acti per palmam manûs, corpore sursum dextrorsùmque intereà impulso.

Secunda species. Capite retrorsum.

(4) Secunda positio priori inversa, omnium maximè noxia est, admodùm arduâ operâ eget, sicco præsertim utero, cùm valdè difficilè sit pedes antrorsum inquiri.

(5) Tota ars contrahenda est ad reducendum infantulum in transversam directionem. Caput saltèm juxtà alterutrum columnæ vertebralis latus esset dejiciendum. Apprehenso deinceps corpore medio, parùmque verso, caput in foveam iliacam viciniorem reduci poterit; dùm manu exteriùs abdomini adhibitâ corpus sinistrorsum repelletur, si caput sit in foveâ iliacâ dextrâ; dextrorsum autem, si in lævâ.

(6) Sic posito infantulo, manus alterutra juxtà partem ejus anteriorem, quæ, ut suprà, sensim sublevatur, immittitur, ad inquirendos pedes, absolvendumque suprà dicto modo partum.

(7) In tertiâ positione, claviculæ parsque sterni superior, margini pelvis, juxtà latus lævum innituntur, cartilagineusque margo spuriarum costarum margini pelvis dextro. Hæc positio duabus superioribus minùs noxia est, satisque etiàm apta evadit, cùm uterus non ità infantulo adhæret. Tertia species Capite sinistrorsum.

(8) Tùnc pectus facilè repelli potest inducendo manum lævam ab infrà sursùm & à sinistrâ ad dextram suprà faciem anteriorem, pedesque in suam quartam positionem (§. CX. n°. 6.) redacti, haud ægrè apprehenduntur. Id etiàm faciliùs obtinetur, prægnante suprà latus lævum jacente.

(9) Quarta positio tertiæ inversa est, inversa requiritur etiam opera, donec ad pedes perventum sit: hæc tamen magis apta est, cùm manus dextra adhibeatur & reducatur infans in 3am. positionem 1mi. gener. seu pedum, de quâ suprà (§ CX. n°. 5.), quæ, ad absolvendam extractionem, ut ibi demonstravimus, quartâ magis idonea est. Quarta species. Capite dextrorsum.

CXV. (1). Sextum genus, seu abdomen infantuli suprà aperturam superiorem occurrens, digito mollem tumorem objicit, in quâ deprehenditur funiculus, ejusque insertio ad centrum pelvis respondens. Observare etiàm licèt marginem cartilagineum costarum, cristam ossium ilium &c. Sextum genus. Extractis infantuli abdomen suprà aperturam super. advertentis.

(2) In primâ specie pectus suprà pubim, genitaliaque suprà partem sacri superiorem innituntur. Ad inquirendos pedes leviter sublevatur abdomen, ut juxtà pelvim & femora irrepat manus, donec perventum sit ad genua, quæ ambo sinistrorsum attrahuntur, dùm manûs immissæ palmâ, exteriorique ventri adaptatâ, caput truncusque infantuli dextrorsum repelluntur. Hac viâ admovetur infantulus ad directionem transversam, quæ ad absolvendam extractionem maximè idonea est. Prima species. Pectore antrorsum

(3) Secunda positio priori inversa est, eadem circà illam adhibenda est opera, quam circà 2dam. positionem superior. gen. (§. CXIV n. 4. 5.) conscripsimus, cùm in eo tantùm circà utramque versetur discrimen, quòd in hâc specie, minor sit distantia pedum à superiori aperturâ, quàm in illâ. Secunda species. Pectore retrorsum

(4) In tertiâ specie pars anterior inferiorque pectoris, margini pelvis juxtà latus sinistrum innititur, genitaliaque ad dextrum jacent. In hâc positione eodem sese geret modo obstetricans ac in 3tia. positione 5ti. gen. (§ CXIV. n°. 6.), seù cùm pectus suprà aperturam superiorem, capite sinistrorsum, stat. Hæc autem minùs ardua est, pro minori genuum distantiâ. Tertia species. Pectore sinistrorsum.

(5) Quarta tertiæ inversa est, ideòque huic competit assignata circà 4tam. 5ti. gen. (§. CXIV. n°. 8.) positionem, opera. Quarta species. Pectore dextrorsum.

Septimum gen. Extractio infantuli genitalia suprà aperturam super. objicientis.

CXVI. (1) Septimum genus, seù infantulus pelvim suam suprà aperturam superiorem objiciens, partium genitalium tactu facilè dignoscitur; vicinas etiàm partes contrectare licet, femora v. g., spatium interjacens, spinam denique superiorem & anteriorem innominatorum.

(2) In primâ specie margini pelvis posticè innituntur femora, parteque ventris inferiori, suprà pubim matris jacente. — Secunda priori inversa. — In tertiâ infantuli femora pelvis margini dextro innituntur, inferiorque pars ventris margini lævo. — Quarta huic inversa est.

(3) Cùm autem quadruplex opera quatuor positionum 5. gen. (§. CXIV.) ad quatuor 6ti. gen. species (§. CXV.) fuerit adaptata, quatuor pariter istiûs septimi generis positionibus conveniet; Distantiâ quippè pedum genuumque in his positionibus minùs quàm in suprà relatis obstante, minùs arduum est pedes ad positiones idoneas reducere, ut prædicto modo partus absolvatur.

Octavum gen. Extractio infantuli genu vel genua objicientis.

CXVII. (1) Octavum genus, seù genuum occursus, ex altero aut duobus tumoribus rotundis excipitur; in quibus exigua deprehenditur asperitas, rotula scilicèt: hoc genus indicant pariter poplites flexi, genitales partes, si ruptæ membranæ has digito occurrere sinant.

Prima species. Femoribus retrorsum.

(2) In primâ specie crura super symphisim pubis sita sunt, parsque femorum suprà sacrum. Ad pedes in hâc positione apprehendendos, genua sursum antrorsumque pellenda sunt; tùnc pedes sese quasi spontè manui offerunt, vel etiàm apprehenduntur crura, quæ, repulsis intereà, quantum opus est, femoribus, attrahuntur.

Secunda species. Femoribus antrorsum.

(3) Secunda positio priori inversa. Genubus, femoribusque sursum antrorsumque pulsis, labuntur crura, aut veluti suprà apprehenduntur; quæ ubi exteriùs prodierint, attrahuntur ut inverti possit infantulus, faciesque ejus anterior dextrorsum, & obliquè, ut suprà (§. CX. n°. 3. 4.), reducatur.

Tertia species. Femoribus sinistrorsum.

(4) In tertiâ positione, femora juxtà pelvis marginem ad lævam, cruraque ad dexteram jacent. Genua femoraque ab infrà sursum, à dextrâ ad lævam pelluntur, ut labantur aut apprehendi possint crura.

Quarta species. Femoribus dextrorsum.

(5) Quarta positio tertiæ inversa est, ad extrahendos pedes operam quoque inversam exigit.

(6) Si genua jàm valdè processerint, sic sita extrahi poterunt, ità tamen ut in obliquum, & in 3tiam. positionem 1mi. gen. (§. CX. n. 5.), quàm maximè fieri poterit, vergant, seù ità ut facies corporis anterior dextrorsum & in obliquum sic se componat, ad partum deinceps, suprà descripto modo (§. CX. n°. 3.), absolvendum.

(7) Si genu alterum multum progressum esset, constaretque rectè sisum esse corpus, alterumque suprà ventrem jacere, ab illo extrahi posset, & quidem sine periculo, infantulus.

DE

SECUNDUS ORDO;

Seù de Infantulo posterioris faciei punctum obvertente!

CXVIII. (1) Primum genus istius ordinis occiput est suprà aperturam superiorem ; cujus generis characteres jàm assignavimus (§. CIV. n°. 1.) ubi de reductione capitis in idoneam positionem.

Primum genus. Extractio infantuli à pedibus, occiput suprà aperturam super. objicientis.

(2) Si prima occurrat species, seù si ovatum superius antrorsum stet, collumque retrorsum ; ad inquirendos pedes, caput primùm in 2am. 2di. gen. 1mi. ord. positionem (§. CII. n°. 3. & CXI. n°. 6.) reducemus, quemadmodùm illud præstitum fuit, ubi (§. CIV. n°. 2.) prægnantem scilicet antrorsum inclinari præcepimus ; occiputque sursum, retrorsumque pellendo, ovatum superius super aperturam, facie antrorsum, adducemus ; tùncque eodem modo ac in prædictâ specie (§. CXI. n°. 2.) ad extrahendos pedes prosequemur.

Prima species. Ovato superiori antrorsum.

(3) Secunda species priori inversa est, inversâque operâ ad 1am. 2di. gen. 1mi. ord. positionem (§. CXI. n°. 1.) reducitur, eâdem, quâ id præstitimus suprà, ratione, adhibebiturque tùnc præscripta opera, si pedum necessaria evadat extractio.

Secunda species. Ovato super. sinistrorsum.

(4) Tertia cujus jàm characteres protulimus (§. CIV. n°. 4.) eamdem ad extractionem pedum operam desiderat, quam reductioni capitis in idoneam positionem impendimus, donec quartam 1mi. gen. 2di. ord. classis istius speciem (§. CXI. n°. 8.) attigerit, tùncque reductione prætermissâ, pedum, ut in illa specie, fit extractio.

Tertia species. Ovato super. sinistrorsum.

(5) Quarta positio præcedenti inversa, inversam operam exigit ; ad 3iam. positionem 2di. gen. 1mi. ord. (§. CXI. n°. 7.), ovatum scilicet superius, facie retrorsum, reducitur. Nullatenus autem exiguâ inversione ad 3iam. obliquam 1mæ. classis reducendum est, sed manu sinistrâ pedes, ut suprà commendavimus, apprehenduntur.

Quarta species. Ovato super. dextrorsum.

CXIX. (1) Cùm infantulus collum suprà aperturam obvertit, seù versatur in secundo genere, de quo ubi de reductione capitis (§. CV. n°. 1.) egimus, & cujus, sicuti & specierum singularium, characteres dinumeravimus.

Secundum genus. Extractio infantuli partem colli posteriorem præbentis.

(2) Quamcumque quatuor specierum sortiatur collum, reduci primùm debet caput ad speciem numero respondentem præcedentis generis, eâdem, quâ suprà usi sumus, viâ (§. CV.), ubi de reductione, & deindè adhibenda ad extrahendos pedes, impensa in quatuor primis speciebus opera.

(3) Licèt etiam, quamvis minùs facilè, pedes, omissâ de quâ mox diximus reductione, inquirere ; collum scilicet sublevando, repelli corpus infantuli poterit ad latus positioni cuilibet consentaneum ; manu deindè juxtà lateralem infantuli partem irrepente, inflexâque suprà fa-

ciem anteriorem, pedes apprehensi, parte superiori trunci in quantum opus est dejectâ, attrahentur.

Tertium genus. Extractio infantuli dorsum objicientis.

CXX. (1) Tertium genus, sivè suprà aperturam occurrens dorsum (cujus reductionem minimè tentavimus) tumorem latum & asperum præbet, in quo scapulæ, spinæ vertebrarum dorsalium, costæ, spatiumque interjacens, deprehenduntur.

Prima species. Capite antrorsum.

(2) In primâ positione hujus generis pars posterior inferiorqne colli pubi matris innititur, parsque inferior dorsi suprà sacrum jacet. — Ad inquirendos pedes, sublato, quantùm requiritur, infantulo, manus dextra intrà faciem lateralem dextram, lævumque matris latus inducenda est, polliceque juxtà aliud infantis latus immisso, medium apprehenditur corpus, & per quartam inversionis partem à sinistro latere ad dextrum volvitur, ità ut facies lævum pelvis matris latus advertat. Intereà obstetricans per levissimum rotationis pugni motum, directionem manûs mutat, simùlque infantuli positionem, cujus corpus obliquè, caput dextrorsum, partesque inferiores sinistrorsum componit. Tunc addito pollice, apprehenduntur pedes mox occurentes, & dùm deorsum, sinistrorsumque attrahuntur, palmâ manûs, aversisque mox digitis, superiores sursum, dextrorsumque pelluntur partes, absolviturque, suprà dicto modo, partus.

Secunda species. Capite retrorsum.

(3) Secunda positio priori inversa est, quanquàm non absimilem exigit operam ad invertendum infantuli corpus. In eo tantùm positum est discrimen, quòd caput sinistrorsum, inferiorque trunci pars dextrorsum & anteriùs reduci debeant, undè ardua magis in hoc casu evadit partûs absolutio.

Tertia species. Capite sinistrorsum.

(4) In tertiâ positione, pars posterior colli super marginem pelvis lævum incumbit, parsque inferior dorsi suprà dextrum jacet. — In hoc casu extensa manus dextra in uterum, versùs pubim faciemque lateralem sinistram fœtûs, inducitur. Licèt quarta inversionis pars, quam in duabus superioribus speciebus præcepimus, non absolutè necessaria sit, expedit tamen ut fiat, intereàque dorsum, parsque superior infantuli sursum sinistrorsumque suprà foveam iliacam dejiciantur; quo facto, quasi spontè occurrunt pedes, facilèque extrahuntur.

Quarta species. Capite dextrorsum.

(5) Quarta tertiæ inversa æqualem desiderat operam: cùm tamen juxtà diversum latus jaceant pedes, sinistra potiùs adhibetur manus.

Quartum genus. Extractio infantuli lumbos objicientis.

CXXI. (1) Quartum genus, sivè lumbi suprà aperturam superiorem, à tertio differt tantùm ratione facilioris operæ. Hujus characteres sunt, tumor patens, in quo spineæ vertebrarum lumbarium apophyses, mollia utrinque intervalla, ossium ilium cristæ, spuriæ denique costæ deprehenduntur.

(2) In primâ positione hujus generis, pars dorsi inferior super matris pubim incumbit, clunesque super margines pelvis posteriùs. — Secunda

huic inverſa eſt. In utrâque eadem ac in primâ & ſecundâ præcedentis generis, opera inſumitur.

[3] In tertiâ dorſum ſuper marginem pelvis lævum, cluneſque ſuprà dextrum jacent. — Huic inverſa eſt quarta; eodem, circà utramque, modo ſeſe gerit obſtetricans, atque in duobus poſterioribus ſuperioris generis.

CXXII. [1] Quintum genus, ſeù infantuli clunes orificio occurentes, tumorem mollem præbentes lineâ bipartitum hinc ano, hinc genitalibus definitâ.

Quintum genus. Extractio infantuli clunes præbentis.

[2] In primâ ſpecie, anus juxtà pubim, genitaliaque oſſi ſacro incumbunt: quamvis mater interdùm propriis viribus, infantulo ſic ſito, ſeſe exonerare poſſit; hanc juvare ſatius eſt, præſertìm ſi clunes intrà orificium non hæreant.

Prima ſpecies. Ant. corporis facie retrorſum.

[3] Sic ſe haberi poteſt opera tùnc adhibenda: manus ſacrum matris intrà & tergum infantuli immittetur, palmâ hujus clunes ſimùl & inferiorem trunci partem ſurſum dextrorſumque pellendo, ut extrahi faciliùs poſſint deorsùm ſiniſtrorſumque pedes. — Induci quoque poteſt manus læva juxtà coxam infantuli dextram, pollexque juxtà ſiniſtram; tùnc per quartam inverſionis partem ità conſtituitur fœtus, ut facies ejus anterior dextrum matris latus reſpiciat: faciliùs deinceps apprehenduntur & adducuntur pedes, clunibus & trunco ſurſum ſiniſtrorſumque ſuprà foveam iliacam lævam dejectis. — Dorſum denique, deindè clunes & femora ſurſum antrorſumque repellendo, crura facilè apprehendi poſſunt, pedeſque in excavationem pelvis deduci. — Triplex hæc opera ſuâ gaudet utilitate, & juxtà varias circumſtantias altera alteri prævalere debet.

Secunda ſpecies Facie anter. antrorſum.

[4] Secunda ſpecies priori inverſa eſt, opera triplex mox deſcripta circà hanc adhiberi poteſt: potiſſimùm autem ambæ poſteriores inſumuntur.

Tertia ſpecies. Facie anter. dextrorſum.

[5] In tertiâ anus infantuli ad ſiniſtram, genitaliaque ad dextram pelvis reperiuntur. Præſtò eſt in iſtâ poſitione partûs abſolutio.

[6] Inter infantuli femora dextrumque pelvis latus, immittatur uſque ad pedes manus, palmâque ſimùl clunes ſursùm & ſiniſtrorſum repellantur. — Poteſt quoque, ſublato infantuli trunco, aptior juxtà coxam induci manus, deindèque juxtà femur ſæpiùs ventri impoſitum. Clunes denique ſurſum ſiniſtrorſumque, ſimùlque truncus repellantur. Cùm extremitates juxtà pelvim pervenerunt, illam ſubeunt, in illamque labuntur.

Quarta ſpecies. Facie anter. ſiniſtrorſum.

[7] Quarta tertiæ inverſa eſt, inverſamque exigit operam. Ideò minùs idonea eſt, quòd ad quartam (§. CX. n°. 6.) pedum poſitionem tertiâ minùs aptam, reducitur.

TERTIUS, QUARTUS ORDO;

Seù de infantulo regionem faciei lateralis utriusque obvertente.

CXXIII. [1] Hic duplex ordo; uterque quinque genera complectitur, præterquam quod diversum latus obtinent, paria; de illis ergò conjunctim agemus, referendo quarti ordinis species ad species tertii ordinis, de quibus speciatim acturi sumus.

Primum genus. Extractio infantuli ovatum laterale capitis alterutrum obvertentis.

[2] In primo genere tertii ordinis, cujus characteres protulimus, ubi de reductione capitis (§. CVI. n°. 1.), infantulus ovatum laterale dextrum capitis super aperturam objicit.

Prima Species. Corpore retrorsum.

[3] In primâ specie, quam ibidèm descripsimus, protuberantia parietalis pubi matris innititur: angulo inferioris maxillæ juxtà sacrum, facieque ad sinistram jacente.

[4] Adhiberi potest opera, ubi de mutatione istius positionis (§. CVI. n°. 3.), præcepta ad reducendum primùm caput ad 4am. positionem 2di. gen. 1mi. ordinis; deindè ut suprà (§. CXI. n°. 8.) sese gerens abstetricans, manu dextrâ pedes inquirit, quos ad 3iam. positionem, digitis scilicet dextrorsum (§. CX. n°. 5.) reducit, prædictoque modo absolvitur extractio. — Sublatum quoque caput dextrorsum pelli potest, nequidem mutato ipsius situ, ut extensa manus juxtà faciem, deindè juxtà anteriorem pectoris partem, posteàque juxtà abdomen facilè irrepat, donec apprehendi pedes possint, qui sursùm dextrosumque adducuntur: caput simùl, ut pluries dictum fuit, palmâ manûs repellente.

[5] Si infantulus sit in primâ positione 1mi. gen. 4ti. ord. quæ à superiori tantùm differt, quòd facies antrorsum dextrorsumque jaceat, eâdem viâ caput in 3am. 2di. gen. 1mi. ord. positionem (§. CXI. n°. 7.) reducetur; eodem deindè modo absolvetur partus. — Sublevari quoque caput potest, eâdem hujus remanente positione, lævâque in foveam iliacam sinistram pelli; pedes deinceps apprehendentur, & ad 4am. (§. CX. n°. 6.) positionem suam reducentur.

Secunda species. Corpore antrorsum.

[6] Secunda species superiori inversa est, inversamque operam postulat. Secunda hæc species tertii ordinis ad 3am. 2di. gen. 1mi. ord. (§. CXI. n°. 7.) reducitur, & secunda pariter quarti ordinis species ad 4am. ejusd. gen. atque ord. (§. CXI. n°. 8.).

Tertia species. Corpore dextrorsum.

[7] In tertiâ specie, protuberantia parietalis ad sinistram, inferiorisque maxillæ angulus ad dextram, facie antrorsum, constituitur. Opera quam circà reductionem capitis indicavimus (§. CVI. n°. 5.) in extractione impendi potest, donec caput 1am. positionem 2di. gen. 1mi. ord. (§. CXI. n°. 1.) obtinuerit; viâ deindè huic positioni propriâ absolvetur partus. — Sublato quoque capite, manus induci potest intrà infantuli faciem

faciem & matris sacrum, juxtà pectus, abdomenque leniter irrepens ad pedes, quos, caput pellendo, attrahit, absolviturque partus ut in 3tiâ. 1mi. gen. 1mi ord. positione (§. CX. n°. 5.).

(8) In eadem quarti ordinis positione, anteriori scilicet facie antrorsum, reducetur pariter caput ad 2am. 2di. gen. 1mi. ord. (§. CXI. n°. 6.) positionem, & modo tùnc idoneo sese geret obstetricans. Posset etiam dextrâ, sublato infantulo, pedes inquirere, & suprà dicto modo partum absolvere.

Quarta species, Corpore sinistrorsum.

(9) Quarta positio quoad utrumque ordinem tertiæ inversa est; inversâ hujus operâ quam mox commendavimus, & quam suprà (§. CVI. n°. 5. 6.), ubi de reductione, descripsimus, ad 2am. 2di. gen. 1mi. ord. (§. CXI. n°. 6.) positionem reducitur caput, si facies pubim advertat; si autem facies retrorsum stet, caput in 1am. ejusdem 2di. gen. 1mi. ord. positionem adducitur; pergitur deindè ut in his speciebus. — Possunt quoque illicò inquiri pedes, manu intrà faciem infantuli posteriorem pubimque matris immissâ, si facies antrorsum stet; juxtà verò sacrum, si retrorsum constituatur; tùnc pedes sinistrorsum apprehenduntur, capiteque in foveam iliacam dextram pulso, ad 3am. suam positionem (§. CX. n°. 5.) adducuntur.

Secundum genus, Extractio infantuli alterutram partem lateral. colli objicientis.

CXXIV. (1) Secundum tertii ordinis genus, seù infantulus partem lateralem colli dextram obvertens, tumorem arctum & oblongum præbet, hinc basi & angulo maxillæ inferioris circumscriptum, indèque superiori parte acromii. Pars lateralis læva, sivè secundum quarti ordinis genus, iisdem pollet characteribus.

Prima species. Capite antrorsum.

(2) In primâ specie auris pubi innititur, angulusque maxillæ, simùl & pars superior acromii suprà sacrum, parsque anterior colli sinistrorsum jacet. — In hâc positione in quâ sicut in subsequentibus tentari non debet reductio, quam celerrimè inquiruntur pedes, altero vel duobus primum digitis, gradatimque dextrà manu juxtà partem colli anteriorem lævumque matris latus immissis, dùm progreditur obstetricans, caput collum pectusque sursùm dextrorsumque præsertìm repellit.

Secunda species. Capite retrorsum.

(3) Quòd si faciem lateralem sinistram præberet infantulus, corporis facie anteriori dextrorsum, manus læva simili modo introduceretur juxtà latus prægnantis dextrum, partem trunci superiorem in foveam iliacam sinistram dejiciendo. — Tandem in utroque casu, viâ factâ, apprehenduntur pedes, eâdemque curâ extrahuntur.

(4) Secunda positio priori inversa est in utroque ordine; inversa quoque est & asperior in utroque opera; cui ut succurratur, intromissâ manu lævâ, superiores partes repellendæ sunt; quam maximè sinistrorsum fieri potest, si in tertio ordine.

(5) Si autem pars sinistra colli occurrat, faciesque sinistrorsum stet, manus dextra adhibetur, & juxtà matris dextram repellitur truncus ut

minùs anteriores sint pedes, quod ex sententiâ cedit si nondùm effluxerint aquæ.

Tertia species. Capite sinistrorsum.

(6) In tertiâ positione hujus generis in utroque ordine auris suprà pelvis marginem lævum jacet, humerusque dextro incumbit; facies autem sacrum respicit, si infantulus in tertio ordine constituatur; pubim verò, si in quarto. Ad inquirendos pedes dextra manus extensa, in priori casu, intrà anteriorem colli partem matrisque sacrum immittitur: in posteriori autem, intrà infantuli collum pubimque matris. Cætera ut in tertiâ superioris generis specie peraguntur.

Quarta species. Capite dextrorsum.

(7) Quarta tertiæ inversa, in utroque ordine, inversam pariter operam tùm quoad manum, tùm quoad latus, imperat. Juxtà ordinem in quo constituitur infantulus, in uterum posteriùs, anteriùsve immittitur manus, quæ ad partem thoracis anteriorem progressa, cætera ut in quartâ præcedentis generis specie prosequitur.

Tertium genus. Extractio infantuli humerum alterutrum objicientis.

Prima species. Capite antrorsum.

CXXV. (1) Tertium genus, sivè humerus suprà aperturam occurrens, manusve, aut brachium intrà orificium vaginamque constitutum, maximè noxium est. Cùm non explicatum est brachium, humerusque suprà aperturam jacet, istud dignoscitur genus ex tumore rotundo plùs minùsve crasso lato duroque: ruptis membranis, observare quoque licet brachii partem, claviculam, scapulam, & non procul hinc costas.

(2) In primâ specie infantuli collum suprà symphysim pubis jacet, laterali brachii parte, si nondùm explicatum fuerit, aut dextro thoracis latere suprà sacrum recumbente. Facies infantuli anterior juxtà lævam matris constituitur, si dexter occurrat humerus; si autem sinister, ad dextram reperitur. — In priori casu, pedum inquirendorum causâ, dextrâ sublevandus est infantuli truncus, pellendusque quantùm fieri potest sursum dextrorsumque: in posteriori autem, læva manus adhibenda, & ad lævam matris pellendus truncus. Hoc quidèm nonnisi difficilimè præstari potest, sicco præsertìm aut contracto validè utero. Apprehensis semel pedibus, cætera ut in superioribus speciebus absolvuntur.

Secunda species. Capite retrorsum.

(3) Secunda species priori inversa est quoad utrùmque ordinem, inversa pariter est opera, sed asperior, pedibus antrorsum jacentibus. — Manus læva adhibetur quoad tertium ordinem, quando scilicèt humerus dexter orificio occurrit, faciesque anterior dextrum matris latus respicit; dextrâ autem manu utendum est in 4°. ordine, quando scilicèt, humero lævo occurrente, facies anterior ad lævum matris latus constituitur. Cùm humerus suprà foveam iliacam sinistram, dextramve dejectus fuit, corpusque quàm maximè fieri potuerit transversè compositum, solitâ ratione haud ægrè absolvitur partus.

Tertia species. Capite sinistrorsum.

(4) In tertiâ specie infantuli collum margini pelvis lævo innititur, lumbarisque regio suprà dextrum, dùm pectus juxtà sacri concavitatem constituitur in tertio ordine, & juxtà pubim in quarto. Ut facilis ad pe-

des ſit via, ſublatus infantuli truncus, quam maximè fieri poterit antrorſum in tertio ordine, retrorſumque in quarto pelli debet. Prætereà in utroque dextrorſum pellendus eſt. Irrepente deindè manu, apprehenduntur pedes, dùmque dextrorſum ſiniſtrorſumque attrahuntur, partes fœtûs ſuperiores palmâ repelluntur; modo deindè ſuprà deſcripto abſolvitur partus.

(5) Quarta tertiæ inverſa quoad utrumque ordinem, inverſâ quoque eget operâ; intrà faciem infantuli anteriorem pubimque matris ſiniſtra immittitur, pergitque ad pedes ab infrà sursùm, à dextrâ ad lævam in tertio ordine, quando ſcilicèt facies lateralis dextra occurrit; in quarto autem ordine, ſeù cum infantulus humerum ſiniſtrum, facie anteriori retrorſum conſtitutâ, objicit, juxtà ſacrum manus repit; & cum abdomen attigit, cætera quoad utrumque ordinem, ſicut in duobus ſuperioribus, peraguntur.

Quarta ſpecies. Capite dextrorſum.

CXXVI. (1) In quarto genere utriuſque ordinis, infantulus lateralem partem thoracis & abdominis præbet. Hoc genus tumorem mollem offert, hinc iliûm criſtâ, illinc ſpuriis coſtis circumſcriptum.

Quartum genus. Extractio infantuli alterutram thoracis & abdominis lateralem partem objicientis.

(2) In primâ ſpecie pars thoracis lateralis pubi innititur, ſpuriæque coſtæ juxtà idem latus jacent; coxa ſuprà partem ſacri ſuperiorem, umbilicaliſque regio ſiniſtrorſum reperitur quoad tertium ordinem, ſeù cùm infantulus latus dextrum objicit; in quarto autem, ſeù cùm latus infantuli ſiniſtrum occurrit, dextrorſum conſtituitur. — Secunda huic inverſa eſt in utroque ordine.

(3) In tertiâ, coxa ſuprà marginem pelvis dextrum, ſpuriæque coſtæ ſuprà lævum incumbunt, ventre quoad tertium ordinem, ſacri cavitatem reſpiciente; pubim verò advertente in quarto ordine, ſeù cùm infantulus latus ſiniſtrum objicit.

(4) Quarta huic adverſa eſt; opera in his quatuor poſitionibus adhibenda eadem eſt ac in quatuor tertii generis poſitionibus; nullum aliud diſcrimen eſt, niſi quod in hujus generis ſpeciebus, pedes aperturæ viciniores faciliùs manui occurrant, difficiliùs verò tranſversè repellatur truncus tantò remotior, quantò proximiores ſunt pedes.

CXXVII. (1) Quintum & ultimum genus, infantulus ſcilicet coxam objiciens, ægrè ante ruptas membranas dignoſcitur: cùm verò ruptæ ſunt membranæ, orificiumque ſatis dilatatum, præter durum planumque tumorem iliûm criſta altera, aut utraque, nec-non clunes deprehendi poſſunt.

Quintum genus. Extractio infantuli alterutram coxam præbentis.

(2) In primâ hujus generis poſitione, quoad utrumque ordinem clunis infantuli ſuprà partem ſacri matris ſuperiorem nititur, iliûm criſta ponè ſymphyſim pubis jacet. Venter autem lævam in tertio ordine, dextram verò in quarto advertit.

Prima ſpecies. Trunco antrorſum.

(3) Alter aut ambo digiti, gradatimque extenſa manus dextra im-

mittitur, quoad tertium ordinem, juxtà lævum prægnantis latus; quoad verò quartum, adhibetur læva manus, juxtàque dextrum latus inducitur; in utroque autem secundùm interiorem ventris partem inguenque, donec apprehensum fuerit femur superiùs situm, quod attrahitur deinceps deorsùm sinistrorsumque, aut dextrorsum, prout casus postulat, palmâ simùl aut pugno corpus infantuli in adversum latus repellendo.

Secunda species. Trunco antrorsum.

(4) Secunda positio quoad utrumque ordinem priori inversa est; inversa pariter opera, asperior tamen, cùm pedes antrorsum inquirendi sint. Læva manus in tertio ordine, dextra autem in quarto, adhibetur; juvatur tamen extractio, trunco in foveam iliacam pulso. Cætera ut superiùs peraguntur.

Tertia species. Trunco dextrorsum.

(5) In tertiâ specie utriusque ordinis, clunis altera juxtà pelvis marginem dextrum nititur, iliumque crista juxtà lævum; venter versùs sacri cavitatem advertit, cùm coxa aut clunis dextra occurrit; pubim verò, si lævam objiciat.

(6) Eodem ac in superioribus speciebus modo, immittitur in uterum manus juxtà infantuli inguen propè sacrum matris, quoad tertium ordinem; quoad autem quartum, propè pubim; cùm ad femora cruraque perventum est, ratione præscriptâ attrahuntur superiora ampliùs quàm inferiora.

Quarta species. Trunco sinistrorsum.

(7) Quarta tertiæ inversa quoad utrumque ordinem, inversam quoque operam exposcit.

TERTIA PARTUUM CLASSIS.

Partus omnes complectens qui absquè instrumentorum ope absolvi nequeunt.

CXXVIII. (1) Hæc classis, secundum instrumentorum genera quibus est utendum, in quatuor dividitur ordines; primus complectitur partus qui laqueorum opem desiderant. Secundus qui forcipem aut vectem; tertius qui instrumenta secantia circà infantulum; quartus denique instrumenta secantia circà matrem.

(2) Cùm secantium instrumentorum, tàm circà matrem, quàm circà infantulum, operam cuique speciei propriam tradere vix possibile esset; omisso applicationis modo, satis erit juxtà præceptoris methodum varios cujuslibet speciei characteres describere, & quædam tantùm operæ in ambobus prioribus ordinibus adhibendæ exempla proferre; eò autem magis hanc partem amplector, quòd instrumentorum usum non planè rejiciens, permultùm tamen restringi posse censeam, imò in extremis tantùm secantia aut contundentia usurpanda esse, & idcircò rarissimi

rissimi ûsûs esse debent; perpauci enim partus occurrunt qui obstetricantis manu, si sciat uti, absolvi non possint.

PRIMUS ORDO.

CXXIX. (1) Hujus ordinis characteres à causis oriuntur, quæ laqueos adhibendos suadent: in quatuor genera distribuitur, ratione regionum quibus laquei admoveri possunt; quorum singula in quatuor species, juxtà peculiarem regionis situm, subdividuntur. — In primo ponuntur partus in quibus laquei pedibus applicandi sunt. — In secundo genubus. — In tertio inguini. — In quarto denique capiti in utero moranti.

(2) Variæ laqueorum & retium excogitatæ fuerunt species; pars quæque propriis & peculiaribus gaudet, sive quoad formam, sive quoad applicationem.

(3) Omnium maximè simplices quoad formam laquei capiti inservientes vitta sunt satis longa, alteri cujus extremitati nodus fiet, quæque summis digitis suprà frontem & pone caput infertur, si in pelvim parvam delapsum sit. — Fasciam præscribit *Mauriceau*, quatuor aut quinque digitis latam, & duobus cubitis longam, duas extremitates sinistrâ tenet; dextrâque mediam vittam patulam exteriùsque unctam in uterum inducit, pone caput quod irretitur sicuti lapis fundâ. — Præcipitur à *D. Smellie* fasciâ calanticæ instar instructa balænatâ virgâ mobili duobus pedibus ferè longâ, quæ, ubi per orificii dilatationem licet, duplicata introducitur suprà faciem mentumque; cùm adhibita fuerit, balænata virga tollitur, amboque laquei extremitates ligantur, leniterque trahuntur, alterâ manu suprà partem capitis oppositam innitente.

(4) Laquei inguini, genubusque inservientes, simplex fascia sunt duobus pedibus circiter lata à medio duplicata, quæ digito, quàm maximè altè fieri potest, ex uno latere inducitur, dùm ex altero hamulus obtusus immittitur; cujus ope apprehensâ fasciâ ambæ extremitates junguntur, forasque educitur corpus, ità ut manibus attrahi possit.

(5) Laquei tandem pedibus adhibendi vitta sunt duobus ad summum pollicibus lata, viginti aut viginti quatuor longa duplicata, currax cui nodus efficitur quo pes foràs eductus, aut repertus implicatur, alteriûs inquirendi causâ.

(6) Plerique, priores præsertim laqueorum species nonnisi difficilè induci, & applicari possunt; quamvis posterioris applicatio admodùm facilis sit, ejus agnitâ inutilitate ab optimis scriptoribus & enucleatè à *D. Lamotte* demonstrata; hoc laqueorum genus non prioribus pluris faciendum est.

SECUNDUS ORDO.

CXXX. (1) Hujus ordinis characteres à causis oriuntur quæ forcipem aut vectem imperant; octo genera complectitur; in 1°. — Adscribuntur

partus in quibus infantulus ovatum superius obvertit. — 2°. . . . . Octavum inferius. — 3°. . . . . Faciem. — 4°. . . . . Occiput. — 5°. . . . . Ovatum laterale dextrum. — 6°. . . . . . Ovatum laterale lævum. — 7°. . . . . Clunes. — In 8°. denique constituuntur varii casus qui forcipem ad spuria genimina, seu fœtûum abortivorum eductionem exigunt.

(2) Quodlibet genus quatuor excipit species. 1mi. generis species simul & characteres, ubi de 2°. gen. 1mi. ord. 2dæ. class. (§. CII.) — 2di. species ad quatuor latera cardinalia respondet, quæ facies edito trunco advertit. — 3tii. species, characteresque, ubi de 3°. gen. 1mi. ord. 2dæ. class. (§. CIII.) recensuimus. — 4ti. ubi de 1°. gen. 2di. ord. class. (§ CIV.) — 5ti. ubi de 1°. gen. 3tii. ord. 2dæ. class. (§. CVI.) — 6um. 5to. inversum est. — 7mi. characteres simul & species, ubi de 5to. gen. 2di. ord. 2dæ. class. (§. CXXII.) descripsimus. — 8um. denique secundùm extrahenda dividitur. 1ma. species spurii germinis. 2da. placentæ. 3tia. molæ. 4ta. uterini calculi extractionem complectitur.

(3) Quamvis usum instrumentorum in genere restrictum dixerimus, fatendum tamen vectem, præcipuèque forcipem, qualis hodiè adhibetur, capite incuneato, sive facies antrorsum sive retrorsum vergat, maximam utilitatem præstare; adhiberi etiam possunt, cùm caput nimis crassum, aut arctior pelvis est; plures alii sunt casus, in quibus iis feliciter uti potest obstetricans, in hæmorrhagiis v. g. convulsionibusve periculosis, contractionum uterinarum absentiâ aut virium prostratione, cæterisque circumstantiis, in quibus matri vel infantulo, vel utrique mora esset periculosa.

CXXXI. (1.) Prius instrumentum simplicius species est cochlearis oblongi, vel potiùs spatula quædam curva & concava, mediâ parte dehiscens, quasi duobus ramis formata. Instrumentum illud nimis notum quàm ut diutiùs ipsi describendo inhæreamus; undecim aut duodecim ferè pollicibus, unà cùm manubrio longum est; capiti in idoneam positionem reducendo inservit, cùm superiùs enarratæ operæ non sufficiant.

(2) Caput v. g. supponamus in tertiâ positione tertii gen. primi ord. 2dæ. class. (§. CIII. n°. 6.) eâdem ac tertiâ tertii gen. istius ordin. in quâ scilicet facies suprà aperturam, vertice sinistrorsum, mentoque dextrorsum jacet. Supponamus etiam operâ tunc commendatâ caput in 3am. positionem 2di. gen. ejusdem ordinis reduci non potuisse, frustraque duobus intromissis digitis, ovatum superius suprà aperturam reducendum tentavisse obstetricantem; vectis admovendus, quem unctum & parum calefactum cautè in orificium inducemus intrà protuberantias frontales, uterique parietem lævum matris respicientem sufficienter, ut vertex instrumenti cavitati imponatur, impulsum deorsum & ad dextrum matris latus attraham, curando ut mulier suprà latus lævum incubet, ut suprà commendavimus.

(3) Si caput in quâdam ex tribus aliis ejusdem positionibus versaretur, scilicet si facie orificio occurrente, mentum, corpusque retrorsum aut antrorsum, sinistrorsumve componeretur, juxtà idem capitis latus induceretur instrumentum, ut in aptam positionem converteretur caput. — Eodem modo quoad cætera genera adhibetur vectis.

CXXXII. (1) Ex omnibus partui inservientibus instrumentis forceps plurimam formam simul & maximam perfectionem consecutus est, prætermissis ipsius inventoribus & correctoribus: omissis etiam plerisque eorum, quorum nunc usus est variis in locis; de illo quem *D. Levret* summâ curâ perfecit, dicere sufficiet, nimis notus est quam ut ipsum describendum aggrediamur. Superiùs casus, in quibus eo utendum est, & causas quæ ipsum desiderant, retulimus: de modo tantùm illum admovendi dicendum superest, idque quàm brevissimè præstabimus.

(2) Caput supponamus in alterâ positione primi gen. istius ordinis, in quâ scilicet ovatum superius orificio occurrit. Quod genus idem est ac 2dum. gen. primi ordin. 2dæ. classis (§. CII.); illud autem plus minusve in excavationem pelvis parvæ delapsum supponamus, facie v. g. 1mam. positionem servante, retrorsum scilicet. Muliere dorsum suprà jacente, orificioque satis dilatato, dextram extensam cautè in uterum intrà parietem hujus visceris sinistrum infantulique caput inducam; manu deinde lævâ juxtà intromissam manum, ramum forcipis *masculum* nuncupatum, unctum & calefactum inducam, donec pars capitis lateralis in rami illius cavitate reponatur. — Tùnc dextrâ retractâ eodem modo lævam juxtâ infantuli caput, dextrumque matris latus inducam; alterumque dextrâ ramum *femineum* dictum juxtà partem lateralem dextram infantuli immittam; donec hæc pars huic ramo insideat; tunc extremitates utriusque admovendo, ramum *femineum* suprà *masculum* transversum inducam; stabilitosque sensim deorsum, antrorsumque attraham levibus motibus à dextrâ ad lævam & vice-versa peractis, quoad usque vertex vulvæ occurrat, fronsque perinæum repellat. — Ad imitandam naturæ viam juxtà *D. Smellie* qui scitè admodùm de hâc operâ tractat, manubrium, aut ramorum forcipis extremitates attollam, caputque sursùm pellam, ut per frontis dimidiam inversionem in altum, extrà dilacerationis periculum sint perinæum & furcilla.

(3) Si caput in secundâ positione ejusdem generis, facies scilicet antrorsum ut ex XXâ. & XXIâ. *D. Smellie* tabulâ patet, constituatur, eodem modo partibus lateralibus capitis applicato forcipe, suadet prædictus scriptor, si metus sit dilacerandi perinæi, sic sito capite, faciem ipsam, si opus sit parùm repellentes, lateraliter invertamus. Posteà agendum est quasi capite tertiam, quartamve positionem sortito, (facie scilicet dextrorsum, sinistrorsumve positâ), alter ramus juxtà pubim, alter juxtà sacrum inductus fuisset; forcipis applicatio, facie,

occipiteque orificio occurrentibus, à priùs descriptâ non multùm discrepat.

(4) Si verò alterutrum laterale ovatum sese objiciat, periculosior est infantulo forcipis applicatio, altero ramo suprà occiput, altero suprà faciem reposito.

CXXXIII. (1) Cùm denique corpus erupit, caputque adhùc in utero versatur, trunco infantuli quam maximè sublato, uterque forcipis ramus juxtà laterales capitis partes modo solito inducitur leniter ab angulo maxillæ inferioris ad verticem impulsus; parietalibus deinceps protuberantiis in utroque ramo inditis, rami alter suprà alterum inducuntur, ut suprà; quibus peractis, si caput tertiam, quartamve positionem sortiatur, facies scilicet dextrorsum, sinistrorsumve jaceat, non mutatâ directione attrahitur: si facies antrorsum, retrorsumve, seù in primâ, aut secundâ positione constituatur, per quartam inversionis partem dextrorsum componitur, sensimque deinceps & gradatim, deorsum attrahitur, donec caput excavationem penitùs subierit; tùm parùm sublatis forcipis ramis juxtà cavitatem sacri, frons invertitur. Cùm denique ovatum inferius seù basis cranii orificio penitùs occurrit, mentumque intrà hæret, sublato etiàm parùm instrumento, infantulique trunco, frons à perinæo amovetur.

(2) Quantumvis in curâ fuerit ut nihil omitteretur, plurima attamen esse non dubito, quæ nos præterierint, aut quæ exprimi non potuerint ut enim scitè *Galenus*, *Hoffmannus*que post hunc, *multa sunt in praxi quæ nec dici, nec scribi possunt.* Hoc præcipuè ad operam circà partum adhibendam spectat, quam exsequi satius est quam describere; quamvis instrumentorum, forcipis præsertìm applicationem enucleatè à *Doct. Smellie* descriptam agnoscamus, opus cujus præstantissimum consulere cuique licet.

TERTIUS ORDO.

De partubus, qui faustè absolvi nequeunt sine secantium instrumentorum applicatione corpori infantuli partìm aut omninò utero inclusi.

Partus instrumenta secantia circ infantulum desiderantes.

CXXXIV. (1) Secantia instrumenta, variæ sunt hamulorum species verucula triangularia, &c.

(2) Hic ordo in sex genera dividitur ratione variorum ad quos impenduntur, usûum.

— In 1°. constituitur adhibitio hamulorum circà caput infantuli utero penitùs aut partìm inclusi, modusque vacuandi cranii. — In 2°. extractio capitis in utero morantis. — In 3°. punctio ad aquas abdomine pellendas. — In 4°. empyema ad vacuandum pectus. — In 5°. variæ

variæ infantuli monſtrificæ partes. — In 6°. tandem funiculi in utero ſectio. — Dari poſſet 7^{mum}. & 8^{vum}. genus.

(3) Primum genus complectitur 1°. cauſas partûs abſolutionem per hamulos determinantes, infantulo caput objiciente. 2°. Rationes quæ hæc inſtrumenta potiùs quàm forcipem ſuadent, quæquè ſunt cauſæ molem capitis minuere cogentes, ſive hydrocephalus ſit ſive non, aut pelvis vitioſa. 3°. Denique agendi in his caſibus rationem. Primum genus.

(4) Species pro variis regionibus capitis quas obvertit infans, conſtituuntur. — In primâ ſpecie ovatum ſuperius ponitur. — In 2da. ovatum inferius. — In 3^{tia}. facies. — In 4ta. latus capitis dextrum. — In 6ta. latus capitis ſiniſtrum. — Harum ſpecierum parvi momenti diſcrimen eſt quoad operam ab obſtetricante impendendam.

(5) Secundum genus de cauſis agit, unde capitis à trunco oriri poteſt diſjunctio, & de modo extrahendi disjunctum. Secundum genus.

[6] Species hujus generis à variis cauſis pendent, undè accidens illud provenit. — In primâ agitur de extractione capitis in utero morantis operæ vitio. — In ſecundâ de modo exonerandæ mulieris, capite ob molem aut pelvis anguſtias à trunco avulſo. — In tertiâ de capitis extractione ob nimiam infantuli putrefactionem à corpore disjuncti. Tertium genus.

[7] Tertium genus, hydropem inferioris ventris infantuli & impedimentum quod ejus egreſſui afferre poteſt, modumque ipſi ſuccurrendi excipit. Hujus generis ſpecies eædem ſunt ac quæ 6to. gen. 1^{mi}. ord. 2^{dæ}. claſſis adſcriptæ fuerunt (§. CXV.). Quartum genus.

[8] Quartum genus ſigna complectitur quibus dignoſcere poteſt obſtetricans pectus aquâ vel pure diſtentum, quæ indè oriuntur impedimenta, illorumque vincendorum rationem. Hujus ſpecies eædem ſunt ac quas complectitur 5um. 1^{mi}. ord. 2^{dæ}. claſſis genus (§. CXIV.). Quintum genus.

[9] Quinto generi adſcribuntur variæ monſtrificæ partes quæ infantuli egreſſui obſtant, ut duo capita, duo trunci cohærentes. Sextum genus.

[10] Sextum genus caſus excipit in quibus ſecandus eſt umbilicalis funiculus, antequàm infantulus ex uteri cavo penitùs eruperit, aut etiàm cùm adhùc in illo integer includitur.

[11] Conſtitui ſeptimum genus poſſet, de modo extrahendi per hamulos infantuli, trunco ſolo in uteri cavo remanente, avulſo capite.

[12] Statui etiàm poſſet octavum, de admovendo infantuli clunibus hamulo, cùm ſuprà inferiorem aperturam pervenerint, exoneratio matris urgebit, exanimatuſque erit infans.

QUARTUS ORDO.

Partus quibus inſtrumenta ſecantia matris corpori admoventur.

CXXXV. [1] Inſtrumenta quæ hunc ordinem conſtituunt ſunt cultelli

incisorii, forfices, acus, uno verbo quæcumque operationi cæsareæ inserviunt.

[2] In quatuor genera dividitur hic ordo, quæ ratione morborum tùm acutorum, tùm chronicorum, vel ratione pelvis conformationis, vel positionis fœtûs, in alio loco quàm in uteri cavo constituuntur.

Primum genus. [3] Primum tumores complectitur inflammatorios, quibus partes genitales externæ mulieris afficiuntur, & qui in abscessum abeuntes impedimenta partui absolvendo pariunt. In tres dividitur species; 1am. facit phlemone, cujus abscessus partui obstat, 2am. erysipelas, 3am. phlegmon erysipelatodes.

Secundum genus. [4] Secundum genus varios tumores chronicos complectitur qui partes mulieris genitales afficiunt, & undè impedimentum partui nascitur. Hujus generis species à varietate tumorum deducuntur.

1am. Constituit œdema labrorum.

2am. Steatoma, atheroma, meliceris, stasis lactea.

3am. Schirrus partium externarum collo uteri inhærens.

4am. Tumores sanguine in textum cellularem effuso, nati.

5am. Varices, anevrismata circà vaginam.

6am. Vulvæ, vaginæque adhærentiæ, aut labrorum frena.

7am. Morbosa durities, callositates parietum vaginæ, hymenis, &c.

8am. Orificii interni status, *orificium quasi cartilaginosum, schirrosumve* dictus.

Tertium genus. [5] Tertium genus partus omnes Cæsareos continet. In varias dividitur species, pro variis, quibus includitur infantulus, locis.

1ma. Species de operatione Cæsareâ agit.

2da. De conceptionibus tubalibus.

3tia. De conceptionibus abdominalibus, sicque de uteri rupturâ per quam infantulus in inferioris ventris cavitatem decidit.

Quartum genus. [6] Quartum genus stases omnes capit in ani margine, aut abdominali facie ortas & in quibus fœtûs frustula invenimus, semper hæ oriuntur stases à putridâ infantuli dissolutione in utero aut tubâ aut cavitate abdominali inclusi.

[7] Cùm minùs lato sensu nomen partûs acceperimus quàm D. *Solayres*; ultimum hoc genus omittere potuissemus. Divisionem tamen quam tradidit, integram exponendam esse satius duximus: notando intereà converti posse hoc genus in classem partûum alteram, qui partus seù potiùs abortus apostematici inscribi possent.

DE QUIBUSDAM DE VARIETATIBUS.

Varietates. CXXXVI. [1]. De varietatibus quibus complicari possunt species, per transennam hùcusque diximus; ut tamen brachium extrà orificium prodiens peculiarem aliquandò ab obstetricante animadversionem postulat,

de hoc fusiùs agendum putavimus. Brachium exteriùs erumpens, tanquàm humeri suprà aperturam occurrentis varietatem, dùmtaxat spectavimus (§. CXXV.), diximusque illius rationem non esse habendam; sed dilatato sensim orificio, manûs immittendæ causâ, inquiri posse pedes. Nihil, cùm benè res sese habent, faciendum præter.

[2] Sæpiùs verò contingit (ubi præsertìm obstetricibus non multùm peritis utuntur parturientes), accersiri obstetricantem ad juvandam prægnantem, infantulo brachium jamdiù proferente, sicco utero, valdèque coarctato, & quod pejus, obstetricium operâ sæpè adeò fatigato irritatoque orificio, ut exardescat validèque brachium infantuli comprimat, quod tumescit, nec progredi aut retrogredi potest.

(3) Inter plerosque quos consuluimus Scriptores, alii de utilitate modoque repellendi brachii dicunt; alii hanc utilem negare operam satis habent; nonnulli difficultatem repellendi brachii obiter exponunt; alii ut *Paré* & *Mauriceau* de isto casu equidem disserunt, sed media quæ indicant, ex ipsis adhibenda non sunt, nisi exanimato infantulo; itàut partium perseverante statu, ligatæ obstetricantis manus erunt, donec extinguatur infans, & de ejus morte certior fiat: prior brachium scindi jubet; posterior obtorqueri suadet, ut à trunco divellatur.

(4) Prætermissâ amputationis brachii ad inquirendos pedes inutilitate, irritato & coarctato orificio, hujus medii inhumanitas, extincto etiàm puero, illiusque, dùm adhùc vivit, insufficientia satis hoc rejiciendum esse suadent, mitiusque & efficacius, tùm matri, tùm infantulo exoptandum. Dùm ab artis peritioribus cupienda illa media proferantur, si tyroni magistrorum præceptis propria conjungere liceat, paucis verbis, quam in hoc casu rationem agendi servarem, exponam.

CXXXVII [1] Brachium jàmdudùm prodiens supponatur, orificiumque ità coarctatum, ut circulationem cohibeat, aut intercipiat, undè fit ut valdè tumescat; brachium introrepellere non tentabo, cùm peritissimi istud assequi non potuerint. Prætereà ex D. *Levret*, brachium, cui adhæret orificium, vi repellendo periculum est, ne ipsum laceretur orificium. Quid ergò agendum ad liberandam mulierem, nec intorquendum nec secandum brachium putanti? Si strangulatio licèt gravis, extrema tamen non esset, orireturque tantùm à laboris pertinaciâ, anxietatibus ægrotantis, aut à nimiâ ejus irritabilitate; præter auxilia moralia ad quietem componentia, venæ-sectionem ad minuendam generalem agitationem experirer, potiones & refrigerantes & sedantes, clysmata emollientia, & demulcentia non omitterem; si præsertìm ante laborem nullum huic administratum fuisset auxilium, & à multo tempore alvus non exonerata fuisset.

(2) His spasmum uteri desiturum puto, in collo præsertìm, modò gravis non esset. Ubi de parturientis quiete per pulsum constabit, non repellendum brachium, sed gradatìm dilatato orificio, viam juxtà

latus sternendam tentabo, uno mox ambobus, & sic deinceps, cæteris immissis digitis secundùm latus humeri positioni idoneum, solitâ cautelâ manum inducam, quàm minimè fieri poterit repulso corpore, tùnc varietas humeri dùmtaxat mihi erit brachium exteriùs prodiens.

(3) Si præter laboris, anxietatis & irritabilitatis ægræ pertinaciam, tonum uteri auxissent pravæ obstetricantis operæ, in eoque inordinatas contractiones excitassent; si durum ac inflammatum magis esset orificium quàm in superiori casu; si magis tumidum infantuli caput magis periclitaretur, ægrotanti balneum tepidum administrari curarem, & dùm pararetur, ipsi venam aperirem: præter auxilia superiùs commendata, emulsiones aut syrupos quosdam sedantes præciperem, egredientique è balneo venæ-sectionem, si partium status desideraret, iterarem.

[4] Denique si spasmodicus uteri status multò gravior esset, brachii strangulatio jamdudùm perseveraret, promptamque opem exponeret, ne gangræna oriretur, vires mulieris quàm celerrimè imminuerem per largam venæ-sectionem, etiàmsi immineret syncope; etsi prima sanguinis patella non sufficeret, alteram aliquantò post extraherem, non metuendam arbitrans hanc syncopen, nec adhibendam operam ut cesset, dolore ab orificii dilatatione orto, ad restituendam ægram sufficiente. — Si medium hoc audax, vehemensque videatur, cùm illo conferatur quo, expectatâ cognitâque morte infantuli, brachium ejus secatur, quamvis propterea extractio saltem plerùmque facilior non evadat, medium nostrum summè mite videbitur.


CXXXVIII. [1]. Licèt nullus obstetricans adeò fusè de hoc accidente disseruerit, putare posse videtur eos qui infantulum mutilandum non censuerunt, eodem ferè modo sese gessisse. Nunquid autem tentari possunt efficaciora media, cùm relativè ad matris aut infantuli statum præmissa non sufficiant? — Si v. g. gravis agitatio foret, emulsionum aut syruporum sedantium loco, pharmacum opiaticum, aut dosis congrua opii, quod quidam ad sedandos spurios dolores adhibent, ministrari posset. Indè cessare aut saltem sedari possent contractiones, quibus ad absolvendum à pedibus partum opus non est. Si uteri inertia tanta esset, ut post partum statìm non coarctaretur viscus illud, verendum esset, ne plùs, minùsve gravis oriretur sanguinis ejectio. Si autem dolor à dilatatione oriens, ad irritandum denuò uterum non sufficeret, modum huic accidenti succurrendi infrà afferemus.

(2) Si in superiori casu velox unius, alteriùsve patellæ sanguinis emissio in syncopen subitò prægnantem non injiceret, nonne in altero brachio similis evacuatio fieri posset? Nonne iterari, donec exoptatus obtineatur effectus?

(3) Nonne auxilia quædam in infantulum directè conferri possent? Cùm v. g. brachium ob sanguinis retentionem à strangulatione ortam valdè tumescit, nunquid huic applicari hirudines possent, dùm circà matrem

matrem cætera adhibentur auxilia? — Cùm huic gangræna imminet, nunquid donec auxilia matri ministrata effectum sortirentur, supra illud lotiones antisepticæ, aut avertendi aut comprimendi mali causâ, fieri possent?

(4) Quantumvis apta, & convenientia mihi videantur hæc auxilia, cùm tamen nec ipse adhibuerim, nec adhibita apud Autores repererim, illa tantùm propono, tanquàm experiunda, de quibus RR. DD. Professorum sententiam libenter & grato animo audiam.



PARS TERTIA.

DE AUXILIIS CIRCA PUERPERAS.

CXXXIX. [1] VACUATIS dùmtaxat amplioribus uteri vasis per priores visceris hujus contractiones, post expulsionem aut extractionem placentæ; cùm minora tam citò evacuari non potuerint, effluxus necessariò post partum pergit, sed decrescendo, donec uterus non majori quàm antè graviditatem, capacitate polleat, quod longiori, breviorive tempore perficitur. Quæ post partum sequuntur.

[2] Succi alimentarii qui per graviditatem ad uterum confluebant, partim, constrictis hujus visceris vasis, ad mammas derivantur. Hoc autem pabuli divergium plùs, minùsve puerperas afficit, prout fibris teneris & multùm irritabilibus præditæ sunt. Sensim itaque vasa ingurgitantur, patiuntur membranæ: mox horror irritationi succedit; ingurgitatione crescente, vasisque magis ac magis irritatis, sanguis excandescit, elevatur pulsus, accenditur febris, sæpiùs ephemera, quæ quidem etiàmsi non necessaria, ordinariò saltem contingit, postquàm deinceps melior in dies evadit puerperarum valetudo.

[3] Effluxus ille plùs, minùsve longus & gravis, divergium illud, perturbatio, febrisque indè plerùmque oriens, puerperarum statum post partum constituunt: licèt ratione temperamentorum aliquandò variet status ille, cùm tamen frequentissimè occurrat saltem in hisce regionibus, quoties accidentia, aut morbi non accedunt, naturalis ferè haberi poterit.

[4] Quæ tamen complicatio nimiùm sæpè contingit; præter enim innumera accidentia quæ à partu operoso oriuntur, aut illum concomitantur, naturalis ipsemet partus morborum plùs, minùsve gravium non rarò fons est ob pravum regimen, debilem puerperæ constitutionem, animi pathemata, lochiorum suppressionem, horumve in qualitate vel quantitate inordinationem, tùm & lac in vasis retentum aut devium. Cùm autem effectus pro causarum actione varient, non trademus des-

scriptionem & enumerationem morborum, quibus puerperæ obnoxiæ sunt; qui quidem accidentales partûs sequelas statuunt.

[5] Licèt tamen partum naturaliter sequentia hìc tantùm expendere mens sit; neutiquam idcircò abstinendum putamus à memorandis frequentissimis quibusdam accidentibus, quæ ab operoso partu, aut quâvis aliâ circumstantiâ pendent: quibus si statim succurratur, pejor indè aut saltem multò pejor non evadit puerperarum status. Ab his, utpotè animadversionem obstetricantis primùm desiderantibus, incipiamus.

CXL. (1) Primum accidens promptius auxilium expetens & sæpissimè in partubus faustissimis occurrens est sanguinis effluvium, expulsionem, aut placentæ extractionem concomitans, quod à plethorâ, aut mulieris debilitate, vel ab extraneo corpore in utero retento, sæpè etiàm ab evacuatione celeriori, vel, quod periculosissimum est, ab omninò inerti utero, aut ruptis vasis oriri potest: hoc si grave sit, pessima procreat accidentia; illud autem hìc non quoad suos affectus, sed solùm tanquam accidens, cui promptè succurrendum est, considerabimus: de partubus enim solis matris viribus absolutis in secundâ parte agentes, media ad præcavendam illam sanguinis evacuationem assignavimus.

(2) Cùm verò invitis adhibitis cautelis, hoc effluxu afficitur puerpera, perpendendum est tùnc undè oriatur, ut eruatur prognosis & hinc indicatio curatoria deducatur. Dùm autem à Plethorâ oritur, vel à placentæ reliquiis alitur, minus portendit periculum: si prius, facilè sistetur, ubi, satis amplâ sanguinis copiâ effusâ, leves in ventrem titillationes ad uterum contrahendum fient: si verò posterius, sublatâ causâ indè tolletur. Qui à debilitate matris oritur effluxus, vel qui ab insufficienti uteri contractione pendet, aut qui celeriori visceris hujus evacuationi tribuitur, superioribus periculosiores sunt. Tandem cum ab integrâ uteri inertiâ sobolescit, aut à ruptis vasculis, multò magis noxii reputantur.

(3) Juvanda in hoc casu, aut excitanda est uteri contractio, impediendumque ne sanguis tantâ in illum velocitate feratur; quamobrem præcipiunt obstetricantes, ut ventri & dorso ægræ applicentur linteamina liquore quodam frigido & adstringenti imbuta: nonnulli venæsectionem in brachio suadent, ut indè revulsio parturienti moveatur. Quod posterius medium competere ex pulsu valido existimamus, dùm v. g. sanguinis profluvium à plethorâ provenit, idque etiàm initio dùmtaxat. Ligaturas alii adhibendas volunt, ut sanguis in extremitatibus comprimatur. Alii denique stipticis injectionibus in uterum utuntur, quibus vasa adstringantur, cùm præsertìm ab illorum rupturâ oritur inordinatus sanguinis fluxus.

(4) Priora media in prioribus casibus sufficientia videntur; valdè autem incerta sunt, sicut & cætera, si ad inertiam uteri aut gravem parietum læsionem referatur morbus; in utrisque enim si non brevì

cohibeatur effluxus, copiosiùsque effluat sanguis, puerperium indè gravissimis complicatur malis, quæ recensere hìc non nostri est propositi.

CXLI. (1) Oriuntur aliquandò inflammationes in uteri collo, urethrâ, recto, vaginâ, labris majoribus, cùm caput aut quodvis aliud infantuli membrum in pelvis parvæ excavationem delapsum, intrà ipsam diutiùs hæsit, vel operosum laborem passa fuit parturiens; si leves sint, evacuationibus quas experitur puerpera, facilè tollentur: cùm autem vehementes sunt, ad venæ-sectionem statim, si nihil obstet, confugere plerùmque necessarium censemus, partibus intereà admoveantur fomenta aut cataplasmata, injiciantur clysmata emollientia; quibus prudenter, antequam eruperit lactea febris, est utendum. Inflammationes à labore procreatæ.

(2) Si adeò valida fuerit compressio, ut intercipiatur circulatio; partes illæ tùnc gangrænodeæ fiunt, quæ si universa sit mortificatio, brevi aufertur mulier; si verò quædam tantùm partes corripiantur, methodus in hujusmodi affectionibus præscripta in ægrotantibus constitutione validâ præditis, prosperè succedere poterit.

(3) Aliquandò mortificatio membranas vesicæ in puncto adhæsionis cum vaginâ occupat, exfolianturque interdùm membranæ illæ undè urinis via patet, graveque oritur incommodum. Ubi animadvertit, aut suspicatur obstetricans vesicam mortificatione fuisse correptam, in hanc flexibilis intromittatur catheter, ad urinas per urethram educendas, ne juxtà viam aut jàm factam aut mox aperiendam effluant. — Dùm autem adhibitis omnimodis auxiliis, gravissima adhùc perstant varia hæc accidentia, aut in eodem gradu perseverant, in insolitos tùnc & præternaturales vergunt morbos, de quibus differere neutiquam in animo est.

CXLII. (1) Cùm crassius est infantuli caput, cùm malè situm, aut quasi uno impetu & antequam partes ad cedendum proclives sint, prodit; commissurarum vaginæ, inferioris præcipuè, quæ furcilla nuncupatur, contingit dilaceratio, hoc accidens est omnium levissimum: sed plerùmque fit ut perinæum, aut partim, aut totaliter scindatur, tùncque vagina cum ano communicet. Laceratio partium.

(2) In primo casu cùm gravis non est laceratio & furcillam dùmtaxat afficit, facilè sanatur, nullumque indè aliud oritur incommodum præter plùs minùsve acutum doloris sensum post urinarum excretionem. In secundo casu seù cùm laceratio mediam perinæi partem attigit, quidam suturâ puncto duplici vulneris oras connectendas suadent. — Alii quorum sententiam amplector, vulnere deterso, sufficere putant, si mulier femora juncta teneat. Cùm denique ad anum pertingit dilaceratio, suturâ etiam jungendas vulneris oras primi præcipiunt, sed posteriores numero plures, doctrinâque potiores, maximam tantùm adhibendam esse curam volunt, ut mulieris quam proximè ad se accedant femora; crassum v. g. splenium parti internæ utriusque clunis versùs perinæum,

applicandum, fasciâque ligandum commendant. Illi lotiones demulcentes, detergentes, & resolventes suadent. D. de *Lamotte* balsama, unguenta, cataplasmata, decoctiones chærophilli in vino tepido potiora habet. D. *Pujos* oleo vinoque mixtis, spatulâ subactis, vulnus abluendum præcipit. Utrique circà minuendum victum, solidi præcipuè pabuli abstinentiam, consentiunt, ut quàm maximè fieri potest, alvi dejectiones, in extremis præsertìm curationem morantes præcaveantur.

Coccygis luxatio.

CXLIII. (1) Brevitas diametri anterioris pelvis, aut capitis infantuli moles, tùm & sæpè modus quo elabitur, coccygi luxationem infert: Hæc aliquando è nimîâ ejus projecturâ oritur, huic superincumbente capite. Interdùm tandem ad illum evertendum cogitur obstetricans, & licèt invitus luxat. Vivido doloris sensu, quo ægra afficitur, & difficultate suprà dorsum incubandi, illud nuntiatur accidens.

(2) Si coccygis diutiùs protrahatur reductio, pars inflammatur, quod etiàm propter opem, quam desiderat inflammatio, moram longiorem trahit. Quamobrem huic quàm celerrimè est opitulandum; unum aut alterum digitum in rectum inducendo, donec ad basim coccygis perventum sit, qui foràs pellitur, dùm manu exteriùs positâ apex ejus versùs vaginam agitur; peracta reductio fasciâ comprimitur, præcaventurque ut suprà alvi dejectiones.

DE REGIMINE PUERPERARUM.

CXLIV. (1) Quod dicendum occurrit circà quæ partum naturalem sequuntur, ad diætam puerperæ præscribendam, simùl & ad modum, quo sese gerere debeat obstetricans circà lochiorum effluxum lacteamque febrim, reducitur. Varii tractatus de partubus, qui hisce temporibus prodierunt, recentiores præsertìm ab integri judicii viris editi, votis singulorum de regimine hoc faciunt satis, idcircò quidquam horum scriptis addere supervacaneum existimantes, nos pensum prosecutos fuisse arbitramur, si quod lectione attentâ & accuratâ peculiare notaverimus, excerptum proferamus.

(2) Quoad primum objectum, seù regimen puerperarum, hoc meritò sub duplici facie considerant obstetricantes relativè scilicet ad puerperas natum alentes, & eas quæ hunc lactandum tradunt: discrimen enim indè circà utriusque classis puerperas, oriri patet. De curis quibusdam exigui momenti quæ ad utrasque spectant, loqui statim liceat.

Curæ leves extemplò post partum adhibendæ.

CXLV. (1) Linteamenta, gallicè *Chauffoirs* ab obstetricibus nuncupata, quæ, in primâ parte, genitalibus exterioribus admovenda commendavimus, tanquam hic inutilia, absentibus causis propter quas ea præscripsimus, tollenda sunt; mulieri enim lectulo incubanti aëris non ampliùs metuenda est impressio validior; detrahenda etiàm sunt tanquam periculosa, non solùm quòd delicatulam mulierem admodùm molestare,

leſtare, & præ irritationibus motus ſpaſmodicos ei procreare queant; ſed etiàm quòd lochiorum effluxui poſſint obſtare, ſanguinis grumulos initio ex utero exeuntes cohibendo.

(2) Idem ferè dicendum de faſciâ, quam poſt partum illicò admovendam præcepimus, ad producendam compreſſionem à D. *Smellie* commendatam, ut aditus celerior ſanguinis in partes inferiores ventris præpediatur, & ſyncopes quibus, omiſſâ illâ curâ, obnoxiæ ſunt mulieres, præcaveantur. Aliquantò poſt faſcia illa jàm ſatis laxa paulatìm magis ac magis laxanda eſt, quam etiàm penitùs tollendam vix dicerem quidem ſine incommodo. Pariſiis gravidam obſtetricavi cui præ inopiâ & præmaturâ parturitione, aut nihil ſuppetebat, aut imparata erant omnia. Hanc poſtquam liberaviſſem, tradito alteri feminæ infantulo, ventri ejus manum appoſitam patienter tenui donec uterus tantùm ſe contraxiſſet, quantùm requiritur. Hac preſſione unius ſaltem horæ propoſitum D. *Smellie* aſſecutus ſum; viribus ægræ refectis, ut ambas manus meæ ſubſtitueret imperavi, preſſionemque donec fatigaretur, continuaret; mulieris illius, in cujus leporibus & decore cunctæ ſtabant opes, nullatenùs læſa fuit forma.

(3) Licèt igitur faſciarum uſum aliquandiù omnes commendent obſtetricantes, ſæpiùſque adhibitas viderim, hinc non abſolutè neceſſarias judicamus. Verùm ſoli prægnantium opinioni auſcultantes, has quàm maximè laxas adhibendas & quàm celerrimè tollendas volumus.

CXLVI. Nullam obſtetricem fugit, vulvam, perſeverante puerperio, mundam eſſe ſervandam. Hæc cuſtodum partes eſſe videntur. Verùm ab obſtetricante aliena non debet eſſe hæc cura, cùm grave indè oriri poſſit malum tùm quantitate lotionum, tùm tempore, quo applicantur. Optimi ſcriptores adſtringentes vetant, ægrè tamen obſtetrices dehortamur ab adhibendis illis lotionibus, tùm circà vulvam, tùm circà ventrem, ut præcaveantur rugæ. Tempus quo fieri, & quo perſeverare debet earum applicatio ab obſtetricantibus non æquè determinatur, juxtà tamen ſententiam eorum, qui de illis mentem aperuerunt, ſemel aut bis in die applicandas cenſui, donec febris lactaria prodiret. Fiunt hæ lotiones decoctione tepidâ foliorum, ſeminum, radicumve emollientium, vel lacte in quo decoctum cherophillum; poſt febrim iterari debent, ſudoribus aut deſinentibus, aut parùm gravibus. Cautelæ ad munditiem vulvæ.

CXLVII. Ratio regendarum puerperarum relativè ad uſum ſex rerum non naturalium, conſiderari debet. Uſus ſex rerum non naturalium.

Experientiâ magiſtrâ quotidiè docemur, aërem purum, ſerenum, ac temperatum ſanitati ac vitæ quam maximè accomodatum eſſe. Quis enim ignorat quanta ſit caloris & frigoris in corpus noſtrum vis & poteſtas? Peractis ideò ſuprà præſcriptis, cubiculi ægræ aërem renovet obſtetricans, caveatque ne nimium cooperiatur, nam ritè aït *Hoſſmannus* Aër.

(a) regimen aëris sit temperatum, uti omnibus ægris, sic quoque puerperis. Curandum etiam ne odores quamquam suavissimi aëri immisceantur. Monet quoque D. *White* (*b*) ut puerperæ de hoc caloris gradu consulatur, qui inest bene valenti corpori, aër liberior servetur, renovetur etiam interdùm, ne particulæ exhalantes iterùm absorbeantur, & in curâ sit ut foras abripiantur. Hoc consilium tàm ad puerperas alentes quàm non alentes spectat; cùm enim ut infrà, dùm de excretionibus dicemus, expellitur materies morbifica, id spontaneâ naturæ actione fieri debet.

Cibus & potus. CXLVIII. Circà victum præcipuè sapientem hanc regulam tradit *Hoffm.* *(c) tractandæ sunt puerperæ*, inquit, *ut graviter vulneratæ, ut etiam summè debiles.* Quapropter earum victus tenuis, diluens, humectansque sit. Eis enim nocent cibi copiosi & crassiores ut potè qui cruditates maximè generant; neque etiam competunt vinum, liquores calefacientes, &c., indè enim fibrarum rigiditas, febrisque augeretur; adhibeantur cibi Euchymi, carnes juniores, juscula: iis solis utendum, imò levissimis etiam durante lacteâ febre; potus diluentes sint quoque aperientes & leviter calidi. Nutrices, robustæque puerperæ ab hoc regimine eximi possunt. Si tamen nihil in qualitate victûs, in quantitate saltem mutetur. Tandem juxtà istud *Hippocr.* (*d*) consilium, cæteris paribus est agendum: *Et quibus semel aut bis & plura vel pauciora & per partes offerri conducat videndum, concedendum autem aliquid & consuetudini & tempestati & regioni & ætati.*

CXLIX. (1) Motus, quiesque plùs minùsve puerperas juxtà temperamentum, tempus, & circumstantias, afficiunt. D. *Levret*, (*e*) sedentarias mulieres, & non alentes de quibus scribere præsertìm videtur, circà decimam tantùm diem linteamenta mutare & circà duodecimam è lecto surgere commendat. Eadem exigit D. *Smellie* (*f*) improbans insuper quòd puerpera in lecto se agitet, volvat, &c., vel huic diutiùs insideat: indè imminutionem aut suppressionem transpirationis, aut ligamentorum uteri violentam diductionem metuens. D. *White* (*g*) nullâ

(a) Fr. Hoffmanni Medicus politicus pars III. cap. VI. de prudentia Medici circà puerperas.

(b) In opere cui titulus: avis aux femmes enceintes, & à celles qui sont accouchées, *loco citato.*

(c) Loco citato.

(*d*) Hipp. *aphoris. sect. I. aphor.* 17.

(e) In opere gallico III. part. ch. III. pag. 152. §. 841, 842, 843.

(f) In opere è Lingua Anglica in gallicam verso cui titulus. Traité de la théorie & pratique des accouchements, liv. IV. sect. II.

(g) In opere jàm pluries citato.

habitâ temperamenti ratione, linteamenta è contrà crebrò puerperæ mutanda præcipit, nec eas diù lecto immorari ratum habet; sed secundo tertiove die surgant, exoptat: aut saltem ad mammas infantulo præbendas, si alant, cibumque sumendum sese in lecto sedentes componant, vel, quod frequentissimè urget, ad emittendas urinas sese suprà genua attollant.

(2) Præscriptæ à DD. *Levret* & *Smellie* cautiones delicatulis quibusdam mulieribus expedire possunt, sicuti ad robustas mulieres, laboribus & tempestatum intemperiei deditas, pertinere potest institutum D. *White*. Ex omnibus, quas aut ipse curavi aut quarum curationi adfui, nullam vidi, quæ cautiones à prioribus requisitas exposceret; vidi è contrà quæ non plura quàm posterior exigit, præstaverint. Pleræque, cæteris paribus, lectum servarunt dùmtaxat, donec per sudores non excitatos, sed beneficio naturæ ortos, sine periculo, surgendi sibi copia esset, nullâ habitâ temporis ratione, quod necessariò variat pro cujuscujusque ad sudores proclivitate. In sedentis situm, genuaque etiàm sine incommodo assurrexerunt.

(3) Cætera à scriptoribus præcepta circà eas servavi eorum cubiculo de modicâ luce consulens, à strepitu, ab adstantium frequentiâ immunes eas liberans; rarò, submissaque voce loquerentur curans, &c. Linteamenta earum quam primùm post partum mutarentur, deinque ante febrim, post sudores demum quoties desideravere jussi, quin indè vel miminum infausti unquam secutum fuerit.

CL. Somnus puerperis non minùs quam quies expedit, meritòque *Mauriceau (a)* increpat morem à puerperis somnum aliquandiù immediatè post partum avertendi: Nihil enim aptiùs vires languidas reficit, laborisque agitationem placido somno sedat. Si vero adsit sanguinis effluvium, à quâcumque causâ oriatur, periculosum tùnc & imprudens esset mulierem somno indulgere, priùsquam idoneis mediis arceretur accidens illud, & sufficienter contractus esset uterus. Somnus puerperis adeò necessarius est, ut à nimiis vigiliis perspiratio cohiberi, tùm & sæpè augeri, aut moveri possit febris. Præter innumera ad somnum alliciendum à scriptoribus tradita: Dantur qui sapienter, nostra saltem sententia, opiatorum usum suadent. Somnus & vigilia.

CLI. (1) Inter inutiles superfluosque humores qui è corpore sano pelluntur, sunt, ut v. g. qui per alvum, per sputa evacuantur, in gradu naturali quantum fieri potest, asservari debeant; alii ut v. g. sudor & humor perspiratorius plùs, minùsve promovendi sunt. Qui tandem per vias urinarias emittuntur inversam plerùmque quantitatem prioribus servant; hi in puerperis ad debitum pariter ordinem idoneis remediis excitandi sunt. Retenta & excreta.

(a) *In opere gallico jàm citato.*

Excreta per alvum. (2) Quoad statum alvi in puerperis, D. *Raulin* (*a*) inter Medicos qui de hac re disseruerunt clarissimus, contendit à primâ post partum die ad usque extremam summè necessarium esse, ope clysmatum, ventrem laxum servare, ut lochiorum evacuatio juvetur. — De frequenti, per puerperium, clysmatum usu discrepant inter se scriptores; alii, quos inter saniores practici quotidiana clysmata commendant, alterâ saltem die ministranda præscribit *Mauriceau*; alii habitualem hunc usum improbant. Sunt verò qui illa tantùm usurpanda præcipiunt, ubi alvo constipata est puerpera. — D. *Levret* (*b*) hac de re præceptum accuratius & prudentius tradit, nempè intrà priores ambos dies post partum præbeantur clysmata, posteà iis abstinendum, nec iteranda sunt, nisi cùm sudores desierint. — Si ad alvum liberam præstandam, quotidianis clysmatibus opus esset, inferremus tùnc cum D. *Raulin* sententiâ parùm concordem esse D. *Levret* sensum. Plurimorum autem practicorum experientiâ constat sufficere, si alternâ die præbeantur, ut alvus laxa servetur & munda: constat etiam ministratis clysmatibus donec febris eruperit, prætermissisque per spatium 36. 48. 60. horarum, indè non multùm imminutam fuisse alvi libertatem, undè fit ut hæ sententiæ, quæ primo aspectu inter se pugnare videntur, facilè ab obstetricante diligenti conciliari queant: intermissio enim clysmatum, quam præscribit D. *Levret*, non multùm aut minimè alvi libertatem à D. *Raulin* commendatam, minuit.

Per poros. (3) Evacuatio per poros cutis plùs minùsve in puerperis augeri debet. Plerique obstetricantes de sudorum utilitate per puerperium, latè admodum loquuntur; ast eos de non alentibus feminis præcipuè fuisse locutos præsumere licet; apud istas enim necesse est excretionem hanc augeri, ut effluant succi lactei, qui naturaliter absorberi nequeunt, & qui lochiorum viis non obtemperant. Quantumcumque autem utilis sit hæc evacuatio, juvanda tantùm est, sed non excitanda, ut à calore, potionum calidarum, aut tegumentorum ope, non raro fit; sudores enim indè ortos multùm & quidem meritò improbat D. *White* (*c*), hos puerperis noxios appellans, ut pote qui lochiorum evacuationi obstant, ægram debilitant; eamque ità frigoris capacem efficiunt, ut cubiculi aër renovari nequeat, nec ipsa sine periculo ad requisita naturæ ire possit. — Non solùm autem anglus ille obstetricans sudores elicitos damnat; noster etiam *Levret* commendans ut puerperæ prioribus post partum diebus, calidis fomentis corpus à frigore defendant, addit tamen quod præcavendus sit ex-

(*a*) *In opere gallico cui titulus est*: *Traité des maladies des femmes en couche*, *liv. III. ch. I. pag.* 373.

(*b*) *In opere gallico cui titulus*: *L'art des accouchements III. partie* §. 834.

(*c*) *In opere jàm citato.*

cessus,

cessus, ne multa hinc accidentia sequantur; ideò juxtà has sententias in nullis mulieribus, quas datâ occasione obstetricavimus & quarum nulla lactabat, unquam movendos sudores, sed juvandos curavimus. — Quoad verò mulieres alentes infantulum, minor ab iis expectanda evacuatio præter transpirationem quæ paulò major esse debet, prioribus post partum diebus, quàm per valetudinem; curando tantùm ut semper ritè succedat.

(4) Excitandæ autem urinarum excretioni potiones diluentes & leviter diureticæ sufficiunt, cùm natura viâ hâc ad sese expediendam tendat, quod quidem faciliùs, difficiliusve cedit, cùm parùm perspirat ægra. Sæpius iterata evacuatio hæc præsertim cum sese in genua ad emittendam urinam erigit puerpera, aptissima est juxtà *D. White* ad lochiorum juvandum effluxum & ad contractiones uteri musculorumque abdominalium provocandas. *Per vias urinarias*

CLII. Animi pathemata ad puerperas ità spectant ut non mediocrem ab obstetricante attentionem postulent. Idcircò omnes animi motus levandi sedulò sunt, ab omni curâ rei domesticæ arcendæ sunt puerperæ, nec lætus nec tristis adveniat nuncius, ne pacata serenæ mentis tranquillitas turbetur ullo modo. *Harlemi* apud Batavos, prudenter cautum fuisse refert celeber. *Van Swieten*, ne toto puerperii tempore, quies ægræ lædatur. Signum affigitur ædium ostio, quo viso, apparitori, vel alteri cuicumque justitiæ ministro domum hanc ingredi non licet; *tantam*, inquit, *respublica curam habendam voluit mulieris, quæ patriæ civem dedit, optimi cives, à teneris jàm assueti venerari fecundas matres, omnem strepitum à viciniâ arcent sollicitè.* Ab ingrato siquidem nuncio evacuationes quæ partum sequuntur, aliquando cohibitæ visæ sunt; undè vehementer accensâ febre & accedentibus convulsionibus, tandem successit mors. Animi pathemata.

DE LOCHIIS.

CLIII. (1) Notavimus suprà post partum sequi plùs minùsve gravem & perseverantem sanguinis effluxum. Hæc necessaria evacuatio *Lochiorum* gallicè *Vuidanges* nomine insignitur. Sanguis exiens naturalis statim videtur, nec ullum doloris sensum movet. Aliquot post partum horis de suâ velocitate & quantitate deperdit, & quasi per grumos tandem elabitur. Quarto circiter quintove die lochia gradatim rubicunda esse desinunt & quasi serosa videntur; eorum denique quantitas ingruente febre valdè imminuitur, post ejus discessum & cessantibus sudoribus restituuntur, lactea fiunt & quasi purulenta apparent. Eorum diuturnitas, ratione temperamenti & circumstantiarum admodùm variat. Apud quasdam 7a. 8a. 9a. die desinunt; apud alias usque ad 15am. perseverant; dantur tandem apud quas usque ad duplex triplexve etiam tempus & ampliùs protrahuntur: in alentibus tamen, cæteris paribus, aut iis quæ statim copiosam sanguinis dejectionem passæ sunt, breviori tempore cedunt. Lochia.

Lochiorum distinctio.

(2) Lochia tùm quoad quantitatem, tùm quoad qualitatem, in prospera & infausta dividuntur. Prioris speciei sunt illa quorum temperamentis consona est effluxio & quæ gradatim imminuuntur, coloremque mutant. Infausta sunt illa, quæ copiosiora vel nimis parca sunt, aut quæ naturaliter plùs, minùsve vitiantur. *D. Levret (a)* posteriora in tres species partitur. Prima albuminis consistentiâ donantur; parùm copiosa, odore coloreque orbata, in inflammationibus uteri acutisque puerperarum morbis, frequentia occurrunt; secunda loturæ carnis similia, sero copioso, odore nauseabundo donantur. Hæc pendent juxtà præfatum scriptorem à tumoribus carcinomatodeis; tertia species caffeti colorem gerit, odorem cadaverosum spargens putridum, quodpiam extraneum corpus in utero degens nuntiat.

Quomodo circà lochia agendum.

(3) Quoad opem quam prospera seù naturalia desiderant lochia, de quibus tantùm hic agendum venit: cùm de sex rebus non naturalibus nuncupatis suprà disseruerimus; tùm & etiàm de modo alvum laxam præstandi, nec-non de excretione urinarum, quas lochiorum effluxum juvare diximus, satis fusè jàm locuti fuerimus, pauca expendenda nobis supersunt. Præter horum omnium usum, D. *Levret (b)* puerperis arcanum duplicatum exiguâ dosi, aliquandiù etiam post febris discessum continuandum præscribit; hujus tamen usum valdè improbat D. *Raulin (c)*, huicque nonnullos pravos effectus tribuit: Verùm contendit D. *Levret* sibi illud properè cessisse; eo ipse & alii plurimi utimur, nec unquam infausta indè secuta vidimus damna. Nullus hodiè extat clinicus, qui se adstringat ad purgantium usum certis dùmtaxat temporibus, expectetque dùm prodierint menstrua; cuncti indicationes sequuntur, & purgantia præscribunt ex circumstantiis, à febris lactariæ discessu, ad reditum menstruorum.

Tormina uterina.

(4) Tormina uterina, quæ post partum patiuntur puerperæ pleræque, haberi possunt exigui tanquam labores, maximèque necessarii, ut sese contrahens uterus expellat sanguinis grumulos, qui aut remansere, aut recenter in ejus cavitate coaluerunt; undè auxiliis sæpè periculosis, fereque semper inanibus, nec præcaveri, nec comprimi debent accidentia hæc necessaria. Si uterina tormina intestinalibus quoque jungerentur doloribus scilicet colicis flatulentis; tùnc posterioribus his clysmatum idoneorumque blandorum remediorum ope succurrendum esset.

DE LACTEA FEBRI.

CLIV. (1) Dùm pabulum serosum lacteum, per uteri vasa jàm cons-

(a) *D. Levret in opere cui titulus.* L'art. des Accouchemens.
(b) *In opere jàm citato.* §. *835.*
(c) *In opere gallico jàm cit. sect. III. chap. 2. pag. 94.*

tricta exire nequit, & ad mammas derivatur, oriuntur tùnc, ut suprà diximus, quædam in toto corpore turbæ. Secundo enim, sæpiùs tertio, quandoque & quarto die, somnus fit inquietior, cùm insomniis turbulentis, quandoque etiàm totam noctem ducunt vigilem ægræ, adest inquietudo, sæpè & capitis dolor, pulsus elevatur, ac celerior fit, horripilatio levis adest juxtà totum decursum spinæ dorsi, inter scapulas, & aliquandò per totum corpus; major sequitur calor; mammæ incipiunt dolere, tumescere; respiratio fit utcumque laboriosior; lochia minuuntur; brachia simùl ob tensionem vicinarum partium difficiliùs moveri possunt.

(2) Hæc febris à quibusdam *lactaria* dicta, *ephemera lactea*, *ephemera puerperarum*, accidentalis semper & symptomatica ratione temperamentorum, vi & gradu mirè variat: quibusdam enim optimæ temperiei mulieribus adeò levis invenitur febris hæc, ut, præter noctem prægressam minùs quietam, vix ullius momenti sit, præcipuè si infantulo ubera præbuerint; videntur etiàm quædam ab eâ penitùs immunes; in nonnullis è contrà urbanis præsertim, quæ circà regimen quotidiè peccant, apud debiles, valetudinarias, aut non alentes, febris hæc, nedùm benigna sit, sæpè acerrima observatur, & in morbos abit periculosissimos.

(3) Licet igitur plerùmque & per se ipsam nulla auxilia expostulet, ne fiat complicatio quæ semper præcaveri nequit, expedit primò ut irritatio nervorum, dùm frigus adest, moderetur linteamentorum calefactorum ope. Secundò juvetur & promoveatur perspiratio copiosis & ferè tepidis infusionibus plantarum leviter sudorificarum. Tertiò alvus laxa concilietur beneficio clysmatum quorumdam ex decoctis plantarum emollientium, discedente febre. Quartò denique mammarum distentio juvetur, simulque lactis evacuatio, quod nobis postremò considerandum superest.

CLV. Mammæ summam ab obstetricante vigilantiam, in primiparis præsertim, desiderant; si non alat puerpera, satius est, inquit *D. White*, (*a*) ut mammæ sugantur & gradatim lac divergat, quàm si repentè in humorum massam repellatur. Quod si aut nolit puerpera, aut illud peragere nequeat: præter strictum regimen cui subjicienda est; remedia quædam lacti fugando idonea proponuntur; pleraque tamen inutilia videntur, imò quædam, ut oleosa, periculum portendunt ut potè quæ transpirationem præpediunt, quâ solâ, accedente lactis effluxu, mammæ depleri possunt. Quamobrem *D. de la Motte* [*b*] agnitâ inutilitate speci- Quid exigant mammæ.

[*a*] *In opere jam citato.*

[*b*] *In opere gallico cui titulus.* Traité des Accouchemens, Part. II. liv. II. chap. 2.

ficorum, tùm & etiàm quorumdam periculo, profitetur malle se ad sinum applicari dùmtaxat calidum molleque linteum, &, quantumcumque doloris sensum experiatur puerpera, ab ipso dimoveri non patitur.

[2] Si puerpera infantulum lactare velit, hujus ori mammas citò admoveat, priusquam in eis moretur lac, aut quemdam duritiei gradum adeptæ fuerint : si prima ejus sit lactatio, expedit ut pluries in die ab infante satis provecto sugatur, quò infantulus papillas faciliùs arripiat : Si nodosus sinus fiat & durescat, manu oleo unctâ sæpius in die fricetur. Tandem licèt nutrices minorem curam exposcant, sudoresque minùs urgeant; maximè tamen in eis fovenda est transpiratio, quam naturaliter quocumque tempore experturæ essent ; à frigore caveant, indè enim cohiberi lac, aut stases periculosæ oriri possent.

FINIS.



DISPUTATURI

RR. DD. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Jud. Adj.*

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. GASPARDUS - JOANNES RENE'.

R. D. ANTONIUS GOUAN.

R. D. FRANCISCUS BROUSSOUNET.

Antecessores Regii Veterani.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus, Professor emeritus.*

INDEX.

* *Nucham pro totam partem colli poſteriorem.*

ERRATA.

Pagina	linea	
7	11	Solitò, *lege* Solito.
10	34	geſtionem, *lege* geſtationem.
13	30	quintum-decimum m enſem, *lege* quintum-decimum menſem.
15	9	Hervei, *lege* Harvei.
16	15	Juxa, *lege* Juxtà.
17	33	(1), *lege* (2).
18	17	ligamento cartilaginoſæ, *lege* ligamento-cartilaginoſæ.
20	40	Obſervation, *lege* Obſervations.
21	9	praxi congrua, *lege* praxim congruam.
28	36	LVIII., *lege* LIX.
ib.	37	pletæque, *lege* pleræque.
31	15	ſedente, *lege* cedente.
38	12	mimio, *lege* nimio.
ib.	28	hujus, *deleatur.*
39	22	iudè, *lege* indè.
40	6	favendam, *lege* favendum.
ib.	16	deprimaturculcita, *lege* deprimatur culcita.
ib.	29	ſubmiſſis, *lege* ſubmiſſo.
46	40 & 41	circumferretur, *lege* circumfertur.
49	4	4°., *lege* [4].
ib.	12	[1], *lege* [5].
ib.	13	ipunctum, *lege* punctum.
ib.	15	[2], *lege* [6].
51	12	à, *deleatur.*
ib.	42	CII. *deleatur.*
55	24	(*a*), *lege* (*b*).
56	1 & 2	arbiſtratum, *lege* arbitratum.
64	41 & 42	poſcet, *lege* poſſet.
70	32	utrùmque, *lege* utrumque.
73	19	faſcià, *lege* faſcia.
ib.	39	m, *lege* pem.
78	*in titulo*	De quibuſdam de varietatibus, *lege* De quibuſdam varietatibus.

Errata marginum.

Pag. 52 ad latus parag. CIV. *adde in margine.* Primum genus occiput ſuprà aperturam ſup.

16 CXIII. 4a. *additio.* Extractus infantuli ilium, *leg.* extratio infantuli collum.

63 CXV. 3a. *additio.* Extracti, *leg.* extractio.

82 CXL. *adde in margine* ſanguinis effluvium.

86 CXLIX. *adde in margine* motus & quies.